
IHS


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
23 H
5



NOCTES TVSCVLANAE ET RAVENNATES.

AVCTORE IO. MATTHAEO CARYOPHILO.



Coll. Ro. Cat. Soc. Jesu Ins.

B. S.


ROMAE,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1621.

SVPERIORVM PERMISSV.





Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.



P. Episcopus de Curte Vicesg.



FRater Nicolaus Richardius Sacræ Theologiæ professor, & Regens Collegij Romani S. Thomæ super Mineruam, Ord. Prædicatorum. De mandato Reuerendiss. S. P. A. Magistri legi has Noctes Rauennates, Io. Matthæi Caryophili; Noctes vtique secundum Regium & Propheticum oraculum, lumine diescentes, & robustis delicijs abundantes. Decet sub Gregorio Sanctiss. Pastore tales prodire Vigiliarum fructus, quibus Ecclesia par referat Græcis & Latinis Vatibus, & pietate præripiat

 palmam

palmam , vt non iam phanaticì ſint Poetæ, ſed ſapiant, & Deo canant. Cenſeo dignum opus, nocturni licet vocabuli, pleno lumine, quod ſcilicet nihil habeat pietati non fauens. Dedi & ſubſcripſi in S. Mariæ ſuper Mineruam 13. Kal. Septemb. MDC XXI.

Fr. Nicolaus Ricchardius.

Imprimatur.

F. Hyacinthus Petronius Romanus Ord. Prædicatorum, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

LVDOVICO
CARD. LVDOVISIO
Summi Pontificis
GREGORII XV.
FRATRIS FILIO,
S. R. E. CAMERARIO
BONONIAE ARCHIEPISCOPO,
Domino ſuo clementiſsimo.

IO. MATTHÆVS CARYOPHILVS.






Mnia nox peperit, veteres dixere Sophiſtæ,
Et chaos, & rerum vilis abyſſus erat.
Mens tandem aduenit, rebusq; inclaruit ordo;
Demulcentq; oculos, quæ prius horror erant.
Nox etiã peperit mihi carmina præpete ſomno,
Quæ vel Villa Petri, quæ ve Rauenna dedit.

Aldobrandini Villa augustissima Petri,
Et titulis centum splendida Metropolis.
Præstabat, fateor, terra hæc & marmore condi;
Præstabat tenebris illa iacere suis.
Quid facerem? Mens ipse venis, lux aurea surgis,
Disijcis & tenebras, & chaos ordo tenet.
Mens summo ingenij quæ vincis acumine mentes,
Mens virtute potens, mens pietate potens.
Aurea post hyemē, post nubila lux & in Vrbe,
Gregorij radijs lux & in orbe tui.
Et non visa facis Ludouisi vt visa legantur,
Et pateant oculis lumine plena tuo.
Sic tua, non mea sunt, tanto quæ lumine cōples;
Si chaos illa mihi, tu speciosa facis.
Accipe quæ tua sunt, & quæ tibi deditus offert;
Hoc mea plus, quo plus hæc tua semper erūt.

GRE-

GREGORIO XV.
PONT. OPT. MAX.





NCLYTVS est numerus, si denis addita quinque,
Et graduum psalmos tot numerare licet.
Quindeno comites virtutes indicat omnes,
Cunctaque deberi carmina GREGORIO.
Tanti Pontificis prima est si gloria nomen,
Ecquid erit virtus nomine digna suo?

Eidem.

S*Vmma Petri virtus si nullum est carpere somnum,*
Esse Petrus debet GREGORIVS *titulo.*
Si Petrus est, qui iure Petri sedet arbiter orbis;
Idem est GREGORIVS, *quod vigil ipse Petrus.*
Ergo Petri virtus trahitur si nomine tanto,
Plus sub GREGORIO *Petrus honoris habet.*

LVDOVICO
CARD. LVDOVISIO.





GMEN apum tenero quibus olim
insederat ori,
Index eloquij dulce fluentis erat.
Agmina tu Diuum geris ore, & pe-
ctore toto,
Et maiestati gratia mixta nitet.
Est in fronte pudor, charites duo lumina cingunt,
Et Maia genitus totus in ore sedet.
Vt specie imperio digna LVDOVISIVS heros,
Hermes Passonis non LVDOVICE fores.
Sed quale ingenium dederat natura creatrix,
Talis & ingenitis conspicerere notis.

Eidem.

F*Los viget ætatis, sed cano in pectore virtus*
Tanta est, sis impar vt Ludouice tibi.
Te minor ætate es, maior virtute senili;
Et minor, & maior maximus esse potes.
Quid superest? trinum vincas vt Nestoris æuum,
Et fias vni par LVDOVISE tibi.

Eidem

Eidem.

NObile sustineas cum pondus & Vrbis & Orbis,
Ferreus, ad titulum vox foret apta tibi.
Cum tamen ingenio sis aureus, aurea condens
Secula, sis titulo nobiliore decet.
Esto GREGORII baculus, splendorq́. Senatus,
Virtutum examen, pectus Apostolicum.
Vrbs æterna tui similes si semper haberet,
Subditus Vrbi Orbis iam LVDOVISE foret.

Eidem.

ATtica magnificas fugit sapientia sedes,
Et procul à turbis Villa Platonis erat.
Auspicijs LVDOVISE tuis Academia surgit,
Arx vbi Romani præsidet imperij.
Felix ergo tibi viuet Respublica, quando
Qui regit ille sapit, qui sapit ille regit.



ΧΡΙΣΤΩ, ΣΩΤΗΡΙ.

ΚΑΙ χιλιαςὺς ὁ πρὶν ἐώρηκε χρόνος,
Αἰῶνα μυθόπλαστον ἐξευρηκότας.
Εγὼ δὲ σῶτερ χιλιοςὺος φέρω
Δώρημα καινὸν, μυστικὴν παιδωσίαν,
Οὐ μυθομόρφῳ ποικιλόπλουτον θέᾳ,
Αλλ᾽ ἱεροφθέγκτοισι πάμφυρτον μέλοις.
Ω μυριοπλόκοισιν ἀγγελῳδίαις,
Καὶ μυριογλώσσοισιν ἀνθρωπῳδίαις
Υμνεῖς ἄνω σὺ καὶ κάτω διπλοῦς ἔχων.
Φωτὸς χορηγὲ, πατρογέννητον φάος.
Καλοῦ χορηγὲ, μητρογέννητον σέλας.
Αλλ᾽ ὡς τὰ χῆρας λεπτὰ τιμήσας πάλαι,
Και χιλιοςὺν τὴν πενιχρὰν πρὸς δέχου.
Τὰ σμικρὰ μικρὸς, πλάσσα σὺ ζωὴν δίδυ.

ΤΗ, ΑΕΙΠΑΡΘΕΝΩ, ΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΘΕΟΤΟΚΩ, ΜΑΡΙΑ,.

ΦΕΡΟΥΣΑ γαςρὶ τὸν θεάνθρωπον Λόγον,
Απογραφεῖσα σὺν τόκῳ κῆνσον βάλες.
Εμοὶ δὲ παντάνασσα σὺν μόνῳ μόνη,
Επιγραφεῖσα σὺν τόκῳ βίβλον δέχου,
Βίβλον δέχου, βίβλου τοῦ τοῦ μυστεργάτου,
Ολον δέχου νοῦν, κῆρ ὅλον, ψυχὴν ὅλην.
Κρείττονα μουσῶν, θύγατερ ψαλμογράφου,
Κρέξασα λαμπρόφωνον ἀσματουργίαν.
Βίβλον δέχου Δέσποινα καὶ μουσηγέτις.

DE-

DECEMBER.



Dominica prima Aduentus.

Regius ascensum te Vates ponere nubem,
Ventorum & pennas te super ire canit.
Tu tibi descensum voluisti ponere nubem,
Et noua Virgineo sarcina ventre vehi.
Sic es quicquid eras, & fis de Virgine Soter,
Et facis hanc factus nunc homo pœne Deum.

In Aduentum. B. Virgini.

Dum gereres vterum Virgo purissima, tanti
Conscia secreti, quis tibi sensus erat?
Crediderim nimia raptam dulcedine mentem
Dicere; quem, quantum quanta puella gero?
Deficit humani tota hic industria captus;
Quod tu ventre capis, tu quoque mente capis.

In eundem.

Mens patris æterni nullo grauidante figurā
Procreat vnigenam, consimilemque sibi.
Virginis hanc vterus nullo grauidante marito
Procreat vnigenam, consimilemque sibi.

Ille

Ille pater verus, vera ergo hæc fœmina Mater.
Sic totam is, totam ſic habet hæc ſobolem.

In eundem.

DVm tibi venter erat diuino pondere plenus,
Quantus Virgo fuit tũc tibi dandus honor?
Quantus honor Verbo, dum iam portatur & ipſũ;
Dum non diſtincto nomine fertur honos.
Et nunc ſi qua caro diuinum admittit honorem,
Eſt tua; ſic tuus eſt vndique ſummus honor.

In eundem.

EXaltare tua virtute, & naſcere matri;
Idẽ es quod ſcandens Chriſte, vel exoriens.
Sed virtute tua ſi pura è Virgine prodis,
Hoc eſt eſſe hominem te ſimul atque Deum.
Quorſum Chriſtotocos? peperit ſi fœmina Virgo,
Dicenda eſt Mater protinus illa Dei.

In eundem.

ESt in carne Deus, nubes quẽ è Virgine velat;
Et nubem hanc nubes altera Virgo tegit.
Sol qui conſpicitur, diſcuſſa nube videtur;
Non niſi velatus Sol Deus inſpicitur.
Nulla fit Eclipſis, geminis ſed nubibus vmbra,
Immenſum terris ne iubar officiat.

In

In eundem.

PArturit, & nullos patitur Regina dolores;
Sed ventrem exiguum sarcina tanta leuat.
Dumq. tumentem vterum sibi mirabunda tuetur,
Secreta hæc animo cogitat illa suo.
Longius alta videt, spectat depressa propinquus,
Qui regit imperio summa vel ima suo.
Me ne humilem porrò delectā ex omnibus vnam,
Quam videat, quam sic impleat ipse Deus?
Sed si fas animo voluenti hæc addere quicquam;
Accipe concepto plena puella Deo.
Si depressa trahit, quo depressissima numen
Mens trahet? hoc restat, viscera quod subeat.

In eundem.

QVæ mihi tēpla dari poterūt? Altissimus inquit;
Et terram, & Cælos impleo solus ego.
Sed capit angustus te nunc Altissime venter,
Arctat & immensum Virgo puella Deum.
Vna Deo poterat leges imponere Virgo,
Vt circumscriptus fiat & ipse Deus.

In eundem.

SI longè panem tu portas regia nauis,
Quæ tumeant euris, sunt vbi vela tibi?
At

At ſine velifico curſu cur credita nauis?
Es tamen, es ſolido nauis onuſta cibo.
Ipſe ſibi nauem te Plaſtes Virgo creauit,
Et panem contra conficis ipſa Deum. (ram,
Mens dat vela humilis, grauidās dat Spiritus au-
Ventrem implet panis merce ſalutifera.

Dominica ſecunda Aduentus.

SVbit puellæ Viſcera
Fœtus puellæ conditor,
Fœcundat aluum Spiritus
Illuminator mentium.
Aquas fouebat Spiritus
Supernatans, ſuperuolans:
Nunc intimorum funditur
In viſcerum ſacrarium.
Tunc dixit, & creata ſunt;
Tunc iuſſit, & formata ſunt:
Nunc ipſe fit, qui dixerat;
Nunc ipſe fit, quod ſtruxerat.
Quid altius, quid grandius
Mens curioſa fingeret?
Sic brachij potentiam,
Sic Indicis potentiam,
In Virginem puerperam,
Totam Creator protulit.

In eundem Aduentum.

SI pede loripedes, oculo si lumine cassi
Gaudent, & morbi pellitur omne genus.
Ergo salus venit; sed certa salutis origo
Iste est, imperio qui mala quæque fugat.
Et fonte ex alio currit fons iste bonorum.
Accepta hæc Virgo sunt referenda tibi.

Dominica tertia Aduentus.

SE negat hebræis notum Baptista prophetam,
Qui cunctis maior vatibus vnus erat.
Sum vox, inquit, ego magni prænuntia Verbi;
Nec quia vox præeo, sed præit ille mihi.
Tanta fuit vox hæc, æterna vt personet Echo,
Dum sub pane, Agnum dicimus ecce Dei.

S. Petro Chrysologo.

AVrea Chrysologus dum fundit verba Rauennæ,
Discipulum magni se docet esse Petri.
Illi nusquam aurum, sed verbo magna potestas.
Chrysologus verbis iungit vtrumque suis.
Nam dum verba facit, simul aurum fundit ab ore,
Et venit à Petro gratia dupla Petro.

Eidem

Eidem.

Pontifices Petros sedes Romana negauit,
Sed tibi Pontifices esse Rauenna dedit.
Filia Romanæ quia sedes ampla Rauenna.
Quod non mater habet, filia prima capis.
Est quoq. nunc Petrus, quo tu Pastore triumphas;
Dic, Petri incolumem quæso fouete Petrum.

B. Petro igneo Cardinali Aldobrandino.

Dixerat Helias; hic ara, hic hostia duplex,
Vincat, vtri absumens cœlitus ignis eat.
Igneus at Petrus litem non terminat aris,
Sed rapidos ignes permeat innocuus.
Zelus vtrique ardens; Petri est victoria maior:
Ignibus ille, ignes vicit at iste suos.

S. Nicolao Myrensi.

Militis ad votum mortali in corpore viuens
Dat Constantino somnia Nicoleos.
Territus ille minis, quis, ait, tu talia iactas?
An summum nescis Cæsaris imperium?
Ipse, vel innocuos, inquit, tu perdere noli;
Vel Christi famulos experiere graues.

Eidem

Eidem.

DVm pater infelix grandes exponere natas
Cogitat, & fæda ſpe miſer optat opem.
Aurum Nicoleos furtiuo munere donat;
Et clam quod rapitur, clam pius ipſe iacit.
Cœlum vi rapitur, certa eſt ſententia Chriſti;
At furtim cœlum Nicoleos rapuit.

Eidem.

LAc ſibi Nicoleos per tempora certa negauit,
Et miſeris aurum ſæpe ciboſque dedit.
Ergo iure ſuo dat nunc noua flumina lactis,
Et viduata ſuis carnibus oſſa madent.
Frigida mors olim, nunc eſt mors feruida ſanctis;
Feruoremque ſibi vel cinis ipſe trahit.

Eidem.

QVid Nicolao dulcius, quid mitius?
Exarſit acri ſaucius blaſphemia,
Dum Chriſtus impar procreanti dicitur,
Vltuſque pugno fertur hanc iniuriam.
Miraculorum ſi perampla conferas,
Non æſtimandum dixeris hoc vltimum,
Hic zelus egit, Agnus vt mitiſſimus
Manum flagello verberans armauerit.

S. Ambrosio.

AGmen apum sibi mella legit, dum prata pererrat;
Ex ore Ambrosij colligit ambrosiam.
Non humana notat, verum diuina locutum,
Qui lac dum sugit, dat puer ambrosiam.

Eidem.

QVi monstrum horrendum fuerat, prolem inde beatam
Esse Augustinum quis putet Ambrosij?
An lingua informem ceu fœtum perficit Vrsus,
Lingua Augustinum format & Ambrosius?
Felices ambo; verum hic felicior; ille
Prolem quod nullam protulit assimilem.

Eidem.

MEl quæ fundit apis, stimulum quoque figit acutum;
Ambrosij labijs hoc notat agmen apum.
Ille simul populos & dulci nectare pauit,
Horrisono & Reges terruit eloquio.
Cur vtroque potens sibi nomen traxit ab vno?
An quod & iratus mel dabat Ambrosius.

Eidem.

SOl lux eſt mundi, mundi lux altera Doctor;
Is lumen, lumen fundit & iſte ſuum.
Lumine Sol fuſo Solem non procreat vllum,
Solem Auguſtinum Sol creat Ambroſius.

Eidem.

ΣΟῖς μέλι ἐν στομάτεσσι μελισσάων σμήνεα πῆξεν
Ἀμβροσίῃ, γλυκερῆς σύμβολον εὐστομίης.
Εἶδαρ ἐφημερίοις θνητὸν μέλι, σῆς δ' ἀπὸ γλώσσης
Ἀθάνατος βρώμη ἔρρεεν ἀμβροσίη.

Idem.

CVr examen apum, facundæ ſymbola linguæ,
Ambroſij in labijs dulcia mella premit?
Eſca hæc mortalis; cibus immortalis ab ore
Ambroſij fluxit mentibus ambroſia.

Eidem.

ΠΩς μέλι παιδὶ μέλισσαι ἐπέπλασαν; οὐ μέλι θνητὸν,
Ἄμβροτον ἀμβροσίην ἔκχεεν Ἀμβρόσιος.
Cur finxiſtis apes puero mel? non dedit ille
Mella, ſed effudit nectar & ambroſiam.

Eidem.

DVm docet Ambrosius, quo quæritur ordine præsul,
A' populo præsul quæritur Ambrosius.
Ipsa etiam gaudet dum simplum Ecclesia lucrum,
Vna Augustinum captat in Ambrosio.
Quam benè deceptos spes sancta vtrosq. fefellit;
Hic dum præsul abit, dum capit illa duos.

In Conceptionem B. Virginis.

TRes qui concipiunt, sed fœtus in omnibus idē;
Concipit Anna, Adam, concipit ipse Deus.
Hic mente, illa vtero, sed lumbis concipit Adam;
Infectam hic, nitidam mens, vterusque capit.
Nulla Dei matrem lex obligat, omnia vincit;
Hicq. habet, omnipotēs quod dare dextra potest.

In eandem.

PRima tulit mortē, tulit altera fęmina vitam;
Et vitam & mortem fœmina Virgo tulit.
Nondum conceptæ proli tulit altera mortem;
Concepta hæc vitam, concipiensque tulit.
Sic genitrix mortem peperit, sic filia vitam,
Et genitrix matris filia Virgo fuit.

In

In eandem.

EDidit innumeras stirpes sine semine tellus,
Attamen innato semine prolificas.
Edidit & Virgo prolem sine semine prægnans,
Attamen arcanę semine prolificam.
Terra dedit stirpes nudata prementibus vndis,
Virgo nunquam vndis obruta fœtificat.

In eandem.

SVnt qui ortas aiunt spinas à crimine primo;
Tu quoque post crimen Virgo medela venis.
Infelix hinc terra parens; felicior Adam,
Quam si præceptum non violasset opus.
Si felix ergo culpa est nascente medela,
Infelix nunquam Virgo medela fuit.

In eandem.

NOn dat informem speciem Creator;
Condidit Solem radijs potentem,
Condidit Lunam radij capacem
Corpore pleno.
Iussit è terra virides oriri
Seminum plantas grauido tumore;
Finxit è terra genus omne viuens
Semine plenum.

Viribus finxit validis Adamum;
Finxit, vt prolem dare posset, Euam.
Quicquid creauit, voluit creator
Robore plenum.
Ergo si Plastæ Mariam fatemur
Arte conceptam, sit vt apta mater;
Quis neget plenam radij? quis ortam
Dicat inermem?

Beatæ Virgini.

QVod nigra, sed formosa
Dicaris ò Regina;
Non est quod vllo quondam
Fœdata sis momento.
Si nigra non formosa,
Tu nigra cur formosa?
Quæ nigra sed formosa
Simul vocaris Virgo?
Formosa quod sis, scimus;
Formosa semper, scimus.
Vel ergo nunquam nigra,
Vel nigra, sed formosa.
At nigra, sed formosa,
Pugnant simul coniuncta.
Qua fiat arte virgo,
Quod nigra, sed formosa?

Con-

Concepta sis formosa,
Sed debito tu nigra.
Sic es simul quæ pugnant,
Tu nigra sed formosa.
Et vnus est non nigrans,
Et pulchritudo totus;
Et vna mater pulchri,
Quæ nigra, sed formosa.

In eandem.

SI Sol est Christus, dubitet quis dicere Lunam
Te Virgo? res est attamen ambigua.
Te pulchram appellant nitido ceu lumine Lunam,
Hancque tuis aiunt suppositam pedibus.
Non es, & es Luna; hoc radijs est vincere Lunam,
Naturæ & nullam ferre tibi maculam.

In eandem.

FOemina cum primum formata est, protinus Adam,
Ossis os hoc nostri est, & caro carnis, ait.
Concepta vt Virgo est, formans Sapientia dixit;
Hæc carnem, hæc neruos, hæc dabit ossa mihi.
Ergo viro quicquid debebat fœmina, debet
Vir tibi iam Virgo, virque Deusque simul.

In eandem.

MAgna tibi omnipotens fecit, dum concipis; ergo
Magna tibi fecit, dum ſibi conciperis.
Accepti atque dati menſuram iuſsit eandem:
Quod das ipſa Deo, cur neget ille tibi?

In eandem.

INdita lux Soli eſt; vt Sol electa, quid obſtat,
Lux data ne fuerit Virgo coæua tibi?

In eandem, quo die detectum fuit laquear S. Mariæ Trans Tiberim.

AVro tota intus, ſimul auro ſplenduit arca
Tota foris, dum te ſplendida Virgo notat.
Auro tota intus, foris auro tota refulges,
Dum te viſceribus concipit Anna ſuis.
Ergo qua primum luce es lux aurea Mundo,
Pictum auro laquear dat tibi Virgo Petrus.
Obtulit ille ſuum, da tu Regina quod intus
Auratum precio ſplendidiore facit.

In eandem.

STruxerat è ligno diuini fœderis arcam
Imputri Moses, præcipiente Deo.
Fœderis arca noui sola es tu Regia Virgo,
Quam Deus imputrem condidit ipse sibi.
Quis te prima Adæ tactam putredine dicat?
Symbola signatis tunc potiora forent.

In eandem.

VT primum vidit Lunam Natura creatam,
Orbis Luna nouus lumine plenus erat.
Ergo vt virgineam vidit natura creatam
Lunam, almo fœtus lumine plenus erat.
Quis neget hoc magnæ, minor est quo prædita, Lunæ?
Quis neget hoc Dominæ, quod famulatus habet?

In eandem.

TV licet humana nascaris origine Virgo,
Nō tamen humanæ stigmata prolis habes.
Sexu es fœmineo, sed mens tibi mentibus ipsis
Purior antiquæ nil sibi matris habet.
Nam cur angelicum non præferat illa nitorem,
Regina angelicis quæ datur vna Choris?

In eandem.

ESse negant Virgo te Christi morte redemptã,
Si non peccato diceris empta prius.
Ast ego non emptam, bis te aio Virgo redemptam;
Si bis dona dedit, qui cito dona dedit.
Namque superueniens, veniens & Spiritus, idem
Præueniens etiam debuit esse tibi.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΥΛΛΗΨΙΝ ΤΗΣ ΘΕΟΤΟΚΟΥ.

Πάντα μόνη, καὶ πάντα μόνως. φθόρον ἔκφυγε μούνη
Παμβρότον, ἅτα μόνη γείνατο μοῦνον ἄκος.

In eandem.

SE primæua parens non præstitit Eua parentẽ,
Quæ simul & prolem ventre necemq. tulit.
Tu quæ Virgo paris, te præstas vnica Matrem;
Quæ miseros lactas vbere viuifico.
Ergo venenatis si detrahis vna venenum,
Quis te Virgo vnquam ferre venena putet?

ΕΙΣ ΤΟΝ ΜΕΓΑΝ ΙΕΡΑΡΧΗΝ
καὶ θαυματουργὸν Σπυρίδωνα.

Καὶ ζῇς ἐν μακάρεσσι, καὶ οὐ βαρὺν ὕπνον ἰαύεις,
Ἀλλὰ φέρεις μορφὴν ἀντιθανεῖς Σπυρίδων.
Ἅσσα δέ σοι φθιμένῳ σταυρόγραφα ῥήματα θῆκαν
Λάρνακες, ἀθρύπτου σπῆτος ἄμοιρα πέλει.

Καὶ

Καὶ λιπαρὴν Κέρκυραν ἔχεις, καὶ θαύματα πρήσσεις
Λάξι φίλε Χριστοῦ, λάξι φίλε ζιάδος.

S. Luciæ.

IMmotus vult esse locus, sed mobile corpus;
Fixa loco has leges Lucia ludificat.
Immotam vt moueat, mouet impius omnia Iudex;
Illi radices egerat alta fides.
Arte Syracusius se posse Geometra dicat
Cuncta mouere, artem Lucia ludificat.

Eidem.

VT lea dum spirat, quos Lucia fouerat ignes;
Do tibi, Paschasius, turpe lupanar, ait.
Illa quid hoc, inquit? non fit lupa casta Leæna;
Bis Virgo, inuitam si violabis, ero.
O lea bis virgo, bis martyr stemmate duplo,
Talia quæ dicit, talia quæ patitur.

Eidem.

VIs te nulla trahit, nam cor tibi Lucia fixum
De Christi obsequio pondera nulla mouent.
Non te flamma vrit, nam rides Lucia flammam,
Qua solet incautas perdere blanda Venus.
Transfoderis guttur, nēpe vt sua vulnera corpus
Sentiat, vt cordi vulnera fixit amor.

Omnia

Omnia respondent; tamen es non vulnere victa,
Sed quod te rapuit, vulnus amoris erat.

Eidem.

VErba tibi vt cessent, iudex indigna minatur
Verbera; tu contra verbera verba facis.
Verbera verba facis; quod vis illata pudori
Duplicat à Christo stemmata Virginibus.
Quid iuuat ense tibi transfixum Lucia guttur,
Si vel transfixo gutture verba facis?

Eidem.

Γαῖα βαρυνομένη κόσμου μέσον ἔμπεδος ἴσχει,
Καὶ γάρ μιν σταθερὰν ἶσα τάλαντα φέρει.
Ὡς ῥ' ἀσάλευτος ἔην Λουκίη, τῇ μὲν ἀνάγκαις,
Τῇ δὲ πόθῳ ψυχῆς ἀντιμεθελκομένη.

Idem è Gr.

IN medio mundi stat fixa grauissima tellus,
Vt librata æquis vndique ponderibus.
Viribus hinc igitur distracta, hinc pondere cordis
Lucia, stat pariter pondere fixa suo.

S. Thomæ.

ESse Dei digitum scimus portenta creantem;
Nunc hominis digitus rem dat & ipse nouã.

Vulnera contrectat rediuiuo in corpore Christi,
Et facit vt sana stet pietate fides.
Quanta tui digiti virtus est inclyte Thoma?
Præfracta ille hominum credula corda facit

Eidem.

DVm digito tangis Thoma, tu tangeris ipse;
Si trahit vt credat cor manus omnipotens.
Omne, aiunt, corpus, quod tangit, tangitur; adde;
Qui dominum tangit, tangitur à Domino.

Eidem.

VVlnera contrectans curat sibi vulnera Thomas,
Et fidei curat vulnera Christicolis.
Sic fidei medicus, ne ægrotus Apostolus esset,
Se medicum curat, curat & innumeros.

Eidem.

OMnibus vt tractent, Christus se se obtulit; vnus
Hunc digitus Thomæ tractat, & vna manus.
Præstitit hic vnus plusquã omnes omnibus, omnes
Dum sequimur Thoma consolidante fidem.

In Vigiliam Natalis Domini.

N*On premitur Virgo vicini pondere partus,*
Sed gerit immensum læta salutis onus.
Quin onus hoc ventris, quod nullo pondere fertur,
Omnia nostrorum pondera fert scelerum.
Omnia sic portat portatum à Virgine Verbum;
Et premitur Verbum, non premitur Maria.

Die ante Natalem Domini in S. Synaxim.

N*On pater ex vtero, sed mater pignora fundit;*
Te tamen ex vtero fudit vterque parens.
Sed Patris ex vtero Patris sinus excipit, ortum
Virginis ex vtero cum boue lectus habet.
Ex vteris vtero te Christe capessimus; opto,
Ne tibi sit stabulo vilior iste locus.

Progenitoribus Christi.

N*Ec nouus est genitor, nec mater secula vincit,*
Sed proaui sexus sunt vtriusque tibi.
Est Abrahã proauus, proauus cũ stemmate Dauid,
Multaque mammarum Christe tibi series.

Vnus

Vnus & vna fuit, quibus infans dicere posses,
Hic Ioachim, hæc Anna est; hic auus, hæc auia.

In Christi Domini Natalem.

QVis puer hic? Verbum, quæ mater? nescia lecti.
Quæ domus hæc? antrũ; quid duo bruta? fouent.
Cur nocte? exortus quia Sol. Cur frigore summo?
Fert ignem è cœlo quod puer iste suum.
Quid sibi præsepe hoc? quid vult sibi fascia vilis?
Omnia permutat; summa dat, ima capit.
Hæc vbi perspexit Natura: heu stulta putabam
Infractis, inquit, legibus esse potens.
Subridens illi respondit Gratia; Plastes
Hoc vnum exemit, te sibi dum reparat.

In eundem.

TOtus ab solo genitore natus,
Totus ab sola genitrice natus,
Simplus est Christus veniens ab vno,
Non & ab vna.
Plena qui summi Patris est imago,
Esca ne mortis foret hæc imago,
Ipse quam finxit, caro facta matris
Prodit imago.
Matris in ventrem ruit ille noctu;

Se dedit lucem pariente noctu
Matre; nox noctis tenebras vt omnes
Vna fugaret.
Vna res vincit nouitate mirum
Quicquid est actum; noua Virgo mater,
Quæ Deum prægnans creat, & cadentem
Recreat orbem.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΧΡΙΣΤΟΥ ΓΕΝΝΗΣΙΝ.

Ἕσσατο χλαῖναν ἐμὴν Θεὸς ἄμβροτος, ἤθελε γάρ
Διπλοῦν πέπλον ἔχειν, ὄφρ᾽ ἕνα μοι παρέχῃ. (πως

Μουνογενὴς μουνοῖσιν ἀγάλλεται, ἠδέ τε διπλοῖς,
Διπλόγονος, διφυής, ἁπλοπροσωπόθεος.

Καὶ μέγας ὢν βρέφας, φωνῆς δ᾽ ὅγε παιδὸς ἀκούει.
Πᾶς, κἂν μὴ λαλέῃ, Χριστὸς ἅπαντα φέρει.

Δηρὸν ἔρως χάλκευε, σοφαῖς φρεσὶν ἄκρα συνάπτων,
Καὶ πλάσμα πλάσῃ μίξεν, ἄμικτα πάρος.

Ἐξ ἰδίου τοκετοῦ τίς τίκτεται; ἢ τίς ὁ πλάσας,
Πλάσματος αὖτε πάλιν καρπὸς ἔην σφετέρου;

Κλῦθι ἀδὰμ μεγάλων ἔργων. Θεὸν ἤθελες ἔμμεν
Οὐ βροτός, ἀλλὰ Θεὸς καὶ βροτός ἐστι Λόγος.

Κλαύδ

Κλαίει πότνια κούρη, κλαίει παῖς. ἀμφοτέροιν κῆρ
Πῦρ ἔφυ ἀλλήλοις, πῦρ περὶ καιόμενον.

Ἕσσατο λυγρὸν ὄφιν ψευδάγγελος, ἤπαφεν ἄνδρας.
Ἕσσατο ἄνδρα Θεὸς, ἤπαφε λυγρὸν ὄφιν.

Κύει τυτθὰ λέαινα. Γίγας πέλεν ἅλμασι Χριστός.
Ἀλλὰ λέων τυτθὸς τίκτεται ἐκ Μαρίης.

Ἦλθε μαχεσσόμενος τυτθὸς παῖς αἰνογίγαντι.
Νικᾷ. χεῖρας ἔχει τέσσαρας, οὐχὶ δύο.

Εἰκὼν εἰκὼ ἔγλυπτο, λαβὼν τὴν πήξατο εἰκώ,
Εἰκὼν Πατρὸς ἑοῦ εἰκόνα τὴν ὀλίγην.

ΕΙΣ ΕΥΦΗΜΙΑΝ ΣΑΓΚΤΩΡΙΟΥ
τοῦ Καρδινάλεως.

ΦΟΙβασεν ἐκ στομάτων Βαλαὰμ χρησμῳδέα μῦθον,
Ἰηκὰβ γενεὴν πάγχυ σεβαζόμενος.
Σπέρματος ἐξ ἱεροῦ ἀνὴρ μεγαλώνυμος ἥξει,
Ἥξει, καὶ λαῶν σκῆπτρον ἕξει πολέων.
Ὕψος ἐς αἰθέριον τοῦ δὴ κλέος ἄφθιτον αἰὲν
Αὐξόμενον, βασιλεὺς δ' ἔσεται εὐρυμέδων.
Ὦ μάκαρ, εὐλογέων τις ἀπ' εὐλογίην πάλιν ἥξει
Σεῖο, καὶ ἀρχὴν ἀρίστην ἐρχομένοις ὀπάσεις.

C Εμπυ-

Εμπυρον δ' ἐξ Ιακὼβ γενεῆς ἀμβήσεται ἄστρον,
  Αστρον, αὐτὰρ ἔθνεσι κοίρανος εὐσεβέος.
Αμμες φεγγοβόλοιο νοήσαμεν ἀστέρος αἴγλην,
  Παρθένου ἐκ φαιδρῆς σήμερον ὀρνυμένην.
Καὶ δὴ κόσμος ὅλος σελαγίζεται ἀστέρος οἵη
  Λαμπάδι, σαρκοφόρον τὸν Θεὸν εἰσορόων.
Καὶ σέο πορφύρεον λάμπει πλέον ὄλβιε ῥῖγος,
  Λαμπόμενον καινοῦ φάεος ἀγλαΐῃ.
Εἴης ἄστρον ἄριστον ἐφ' ἡμετέρῳ παρὶ φανὸν,
  Εἰσόκε τὸν δ' ἱεροῖς ἄστρασι Χειστὲ φέρῃς.

ΑΛΛΟ.

Εἰσορέων γλήναις θεοειδέσιν, ὅσσα πελεῖ δῆ
  Μέλλον ἐοῖσι χρόνοισιν, ἐύθεος ἀδε προφήτης
Τηλόθεν Ησαΐας κρυφίων μυστήρια μύθων.
Παιδίον ἄμμι φέρισον, ἐϋς παῖς ἄμμι φαάνθη,
Οἰκείοις ὤμοισι φέρων περιώνυμον ἀρχήν.
Καὶ μεγάλης βουλῆς κικλήσκεται ἄγγελος. ἔσαι
Σύμβουλος μεγάθυμος, ἐμὸς Θεὸς, αὐτόθεος φὼς,
Εἰρήνης ἄρχων, γενέτης αἰῶνος ἀρίστου,
Χρύσεον ὄκκα γένος μερόπων κατὰ γαῖαν ἔσεται.
Εἰρήνης δὲ φίλης αὐτοῦ πέρας οὐδὲν ἔσαι.
Σκῆπτρα Δαβὶδ πατρῷα, καὶ εὐκλέα λήψεται οἶκον.
Ως γὰρ ἔδοκτο Θεῷ. ζῆλος Θεοῦ ὄλβια ταῦτα
Εργα χερὸς μεγάλης τελέσει ἀνδρεσσιν ἀρήγων.

Δῆξε

Δεῖξε παῖν Μαρίης ἦμαρ τόδε, τὸν πάρος εἶδεν
Πνεύματι θέσπις ἀοιδός. ἔχειν παῖν δ' ἐχόμεθ' ἄμμες
Οὐ μεγάλῳ μεγάλης ἐπὶ μητέρος ἄζογι κόλπῳ,
Καὶ βοΐκῇ κάνθωνι μέσον. χαῖρ' ἄχρονε κοῦρε,
Κοῦρε πατρὸς πολιῆφιν ἰσόχρονε, δημιοεργέ,
Διπλόε, μουνογενές, βροτοάμβροτε, διασοφύεθλε.
Ἔρχεο δ' ἡμέτερον φυέτλην, καὶ ἄμμε σαώζων..

B. Virgini parturienti.

SI tua conspiceret fœtantia viscera Moses;
Ardentem Virgo, diceret, Ecce rubum,
Ambustus viridem non perdidit ille colorem;
Et tu cum viridi Virginitate paris.
Diceret; hunc nobis dant signa theandrica partũ;
Quæ parit est Virgo; quem parit illa, Deus.

Eidem.

CArnem dedisti Verbo,
Verbum tibi se totum,
Deo Deorum plena,
Dans plena, sumens plena.
Verbo creatus orbis,
Te recreatus orbis.
Per illud salus facta,
Per te salus peracta.

Quod fit, bonum fit Verbo;
Per te fit omne donum.
Et facta Verbo fiunt,
Perfecta per te fiunt.
Sed iustus ille iudex,
Tu mater aduocata;
Tu spes, & ille terror;
Hoc distat, hoc est impar.

Eidem.

RVmpe Patris Verbum cœlos, teque insere terris;
Clamabat Vates pectore fatidico.
Tu cœlos rumpis, non rumpis Virginis aluum,
Dum pius assumpta carne Redemptor ades.
Dirumpi cœlum fas est, non Virginis aluum.
Sic patet hoc homini, sic patet illa Deo.

Eidem.

LVx penetrat lucem; lux Christus, lux quoque Virgo;
Si lucente ardet lampade Virginitas.
Quid mirum, illæsa si prodit Virgine Christus?
Lux luci nunquam damna creare potest.

Eidem.

EDe tuum Virgo partum sine semine partum;
Et lucem in lucem, quam geris, ede nouam.
Ede Patris Verbum, quod verbo concipis vno;
Vt sit bis genitus te pariente Deus.
Tempus adest: en cœlituum ruit agmen ab alto,
En canit, & terras æquat olympe tibi.

Eidem.

FRigida nox, tenebræ, nusquam domus hospita, cunæ
Stramina, fomentum, bos, asinusque comes.
Hæ tibi delitiæ nascenti Christe fuerunt;
Hæc te Christe tuus ferre coegit amor.
Si te vincit amor, tota est victoria victi.
Tu vincis, quando te tuus vrget amor.

Eidem.

DIxit, & è nihilo Verbũ genus omne creauit.
Non sat erat, verbo reddere quod cecidit.
Redderet vt lapsum, quæsita potentia maior.
Fit factum, & facto fit medicina sua.
Debebam, quod totus eram tibi Christe creanti;
Quod debere queam nunc tibi, non video.

Eidem.

PErmeat exoriens intactam Virginis aluum;
Nec via quam faciat Sol nouus vlla patet.
Miraris? penetrat si lux, nec corpora frangit,
Lux de luce micans hoc tibi non poterit?

Eidem.

VOx fuit hæc Superum; æternas attollite portas;
Bellipotens, Victor, Rex Deus ingreditur.
Dum ventre egreditur, vox hæc non, tollite portas;
Claudite sed portam; Rex, ait, egreditur.
Omnibus vt pateant, portæ panduntur olympi;
Clausa patet soli peruia porta Deo.

Eidem.

ABscissus de monte lapis iam cernitur infans,
Non ferro, aut vlla percutiente manu.
Se lapis auulsit magno de corpore Montis;
Nec mons, auulsus nec dolet ipse lapis.
Sensus abest omnis, quod sit præcisio facta;
Cum valeat sensu totus vterque suo.
Sola Dei Mater, quæ sint tua gaudia sentis;
Et solus sentit se puer esse Deum.

Eidem.

O Mnia cui debent, tibi debet Regia Virgo;
Namq. tuus verè est, qui sibi cuncta creat.
Sic tu facta Deo materno nomine maior;
Tanta, ut maiorem nec Deus ipse queat.

Eidem.

V Idit & erubuit nudum nuda Eua maritum;
Virgo Deum obtectum corpore læta videt.
Pars fuit illa viri, sed vir pars extitit huius:
Concidit illa prior, substitit ista prior.
Et natura redux, si fœmina perdidit, inquit,
Fœmina plus prodest, fœmina quam nocuit.

Eidem.

E Sse Deus voluit monitis fallacibus Adam,
Et non mortalis desijt esse miser.
Ergo semideos frustrà sibi fabula finxit.
Sed frustrari hominis spem negat ipse Deus.
Vt sit totus homo totus Deus, efficit ipse,
Dum Deus is totus, fit quoque totus homo.

Eidem.

O Mnia de nibilo per Verbum facta fatemur,
Quo sine productum dicimus esse nihil.

Omnia nunc Virgo per te instaurata fatemur,
Et sine te sanctum dicimus esse nihil.
Si sumus in Verbo, si viuimus, atque mouemur;
Dum paris, hæc Virgo tu meliora facis.
Quæque videbatur crementum admittere nullum,
Fœcunda est in te Virginitas melior.

Eidem.

DVm nox alta silet, sopor omnia dum premit altus,
Maternis Verbum sedibus egreditur.
Et ceu Sol tenebras, horrenda silentia Verbum,
Ignis vt æternus frigora summa fugat.
Sol nube obductus, Verbum infans, frigidus ignis;
Viribus vt monstret cuncta subesse suis.
Ordine composito naturæ dum ipse Creator,
Ordine naturam recreat opposito.

Eidem.

PLena est assumpto Deitas in corpore, corpus
Plena hoc Virgo habuit cum Deitate sua.
Templum corpus erat Deitati; Regia Virgo
Templi non templum, vera sed est genitrix.
Vera illi genitrix, vnus qui filius vnam
Respicit hinc matrem, respicit inde Patrem.

Eidem.

Decidit in terras nocte hac mellifluus imber,
Totaque iam Cœli nectare terra madet.
Nocte tamen viſus ſi nuſquam nubilus æther,
Vnde nouo tellus nectaris imbre madet?
Vna imbrem tantum fudit nubecula, Virgo;
Vni fontem etiam quæ tibi Roma dedit.
Virginis ad partum cui fons emanat oliui;
Et fontem te homines nunc pietatis habent.
Virginis hoc munus; Virgo eſt, quæ nectaris im-brem;
Virgo eſt, quæ fontem dat tibi Roma ſuum.

Eidem.

Perſonatus homo non idem eſt ſyrmate ſumpto,
Syrmate ſed poſito redditur ille ſibi.
Tu tibi perſonam non ſumis corpore ſumpto,
Perſonæ iungis ſed mea Chriſte tuæ.
Filius ante Patri, nunc Matri filius idem;
Atque idem, nunquam corpore depoſito.

S. Stephano Protomart.

Et quatit, & quatitur ſaxorũ turbine; rumpi
Sed potuit Stephanus, rumpere non potuit.

Saxa

Saxa is verba iacit Iudae, at saxeus ipse
Saxa iacis; certe is rumpere non poterat.
Rumpere non poterat Iudaeum, at rupit olympum;
Et moriens stantem te sibi Christe videt.

Eidem.

ATbleta quondam victori mænia rumpi
Mos erat: En Stephani gloria quanta fuit.
Aenea Cælorum rumpit sibi mænia victor,
Dum petitur saxis, dum petit astra pugil.
Non pugil, effuso sed primus sanguine martyr,
Dux gregis, & cætus gloria palmiferi.

Eidem.

EMicat angelico Stephanus, dum disputat, ore;
Expansosque sinus prospicit æthereos;
En, inquit, video summo stantem æthere Iesum;
Stat Patris ad dextram, non sedet ille mihi.
Scilicet athletis stando certamina Iesus
Spectat, & ad pugiles pars venit ille suos.

Eidem.

ANte sibi Stephanus fuerat, quam stemmate cinctus;
Qui Dux Martyrij luxque futurus erat.

Illius

Illius ante alios violentia rapit olympum,
Martyribus reliquis fractus vt ille foret.
Sic vi non rapuit Stephanus, ſed rupit olympum;
Et ſibi iam ruptum, rupit & innumeris.

Eidem.

CArnificum turbis veniā tu Chriſte rogabas,
Et Stephanus populo pro lapidante rogat.
Quod facis, ille facit; quod vis, hoc optat & ille;
Quod ploras, plorat; quod petis, ille petit.
Tu nobis moreris, ſed te prior ille ſecutus
Et mortem, & vocem reddidit aſsimilem.

Eidem, & S. Laurentio.

QVam bene cum Stephano tumulum Laurentius vnum
Poſsidet, & iunctos vrna & olympus habet.
Ambos leuitas, ambos virtutibus auctos,
Hunc decus Eois, hunc decus Heſperijs.
Heſperius flammae, ſaxis ſuccumbit Eous;
Cum flamma & ſaxum totus vterque foret.
Lampas erat Stephanus, lampas Laurentius; ille
Saxeus hebraeo; ſaxeus hic Italo.
Quales vna dabit tibi Chriſte haec vrna gemellos?
Et quia primitias haec dabit, omne dabit.

Eidem.

Eidem.

VT fieret Paulus, Saulus fuit ante vocandus;
Et Stephani Saulus morte vocandus erat.
Nec mors vna satis, vox illi hæc præuia; Iesu
Ne scelus hoc statues; lux tibi Saule fuit.
Et merito Stephani doctorem Ecclesia iactat,
Vnde est martyrij tanta suborta seges.
Quot mors vna ferat Stephano, voxque vna coronas,
Si facit hæc Paulum, martyres illa facit?

Eidem.

CLamabat Stephanus; Cęlos contēplor apertos;
En Pater, en dextra Filius adstat homo.
Si spectare Deum vita est æterna beatis;
Necdum cæsus erat, iamque beatus erat.

Eidem.

ANgelico Stephanum vultu Synagoga loquentem
Inspicit, & sæuit dentibus, & manibus.
Dente lupos, manibus Bacchas imitata furentes;
Et formam saxis impetit angelicam.
Iure ergo angelicæ se formæ pandit olympus,
Obstruit & saxis hunc Synagoga sibi.

ΣΤΕΦΑΝΩι ΤΩι ΠΡΩΤΟΜΑΡΤΥΡΙ.

Πρώταθλε μάρτυς, σὺ στέφος λαχὼν πρῶτος,
 Φερωνύμως εἶ καὶ μαρτύρων τὸ στέφος.
Ἐκ μαργάρων δὲ πλεχθὲν ἐκλάμπει στέφος.
Ἔπλεξε τοίνυν σοὶ βαρὺ στέφος λίθαξ,
Ἔπλεξε λοιπὸν μαρτύρων στῖφος στέφος.
Καὶ πρωταθλήσας, καὶ μοναθλήσας, στέφος
Πρωτοστεφὴς σὺ καὶ παντοστεφὴς φέρεις.

S. Ioanni Euang.

TE fouet æterni natum ſinus ipſe Parentis,
 Tu quoque cara ſinu pignora Chriſte foues.
Quam diſpar ratio? ſinus eſt diuinus vterque,
 Nec tamen vna ſinus vis vtriuſque fuit.
Ille hominem Chriſtum terris immittit ab alto;
 E terris Aquilam quæ volet, iſte facit.

Eidem.

FLumina Ioannes diuino è pectore potat,
 Vnus & à cœna ſacra fluenta bibit.
Ebibit immenſum pelagus, primordia Verbi,
 Vt natum, hinc factum, bis quoque ſit genitum.
Ebibere immenſum pelagus quis crederet vnum?
 Et potandum alijs hoc tamen ille bibit.

Eidem.

Eidem.

HAec duo Ioanuis rugiere tonitrua; Verbum
Est Deus; & factũ est luxq. Deusq. caro.
Hæc dant horrisonos excussa tonitrua bombos,
Murmur vt audiri non queat hæreticum.
Sint voces alij, præcones, classica, psaltæ,
Ioannis valido lingua fragore tonat.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΙΩΑΝΝΗΝ τὸν Ἀπόστολον.

Παρθένε πῶς καλέω σε, ἀπόστολον, ἠὲ προφήτην,
Ἠὲ προσηγορίῃ μάρτυρα τῇ μεγάλῃ;
Ὃν χριστὸς φιλέεσκεν, ἑῷ δ' ἀνεδέξατο κόλπῳ
Δεῖπνα φίλοις τελέων ἔσχατα μυστοδόκοις.
Κεῖθεν ἀρυσσάμενος σοφίην θεοφάντορα, γράψας
Ἔνθεον ἀῤῥήτου δόγμα θεηλογίης.
Τῷ σε βαρυγδούπου Λόγος ἔννεπεν υἱέα βροντῆς,
Ἁγνῆς ἁγνοφύλαξ παρθένε παρθενίης,
Καὶ Μαρίης ἐπίκουρε. τί δὴ πλέον; ἄρκιον εἰπεῖν,
Ὅττι φίλος Μαρίῃ ἔσκες ὁμωρόφιος.

Eidem.

TV te Christe tuæ matri nascendo dedisti,
Ioanni matrem das moriendo tuam.

Dum das quicquid habes, nihil eſt opulentius illa;
Et Ioanne nihil ditius eſſe poteſt.
Si tua te mater, ſi matrem poſsidet ille,
Quid dicam? cunctas hic habet vnus opes.

Eidem.

VIuere Ioannem, ſeu mox poſt funera raptũ,
Incertus vario murmure rumor erat.
Certe viuus erat, ſubijt cum ſponte ſepulcrum,
Mortis in hoſpitio viuus vt ille foret.
Viuere ſic vnus potuit moriendo Ioannes,
Viuendo & potuit protinus ille mori.
Et ſenio confectam aquilam iuueneſcere dicunt;
Quis neget hoc Aquilæ, quæ ſuper aſtra volat?

Eidem.

QVæſita in ſomnis olim ſapientia Regi,
Mortale in pectus fudit ſe ſe illa cubantis.
Sponte è diuino ſapientia pectore manans
In ſacra Ioannis ſe ſe præcordia fudit,
Pectore diuino ſubnixus dum ille recumbit.
Illum eluſit amor; Virgo hic à Virgine Chriſto
Virginis æternæ cuſtos cum Virgine viuit.

Eidem.

Eidem.

FIlius æterno dilectus Christe parenti,
Dilectum assumis tu tibi discipulum.
Dilectum genitor te nube acclamat ab alta,
Dilectum tu offers è cruce discipulum.
Si tu dilectus matri, dilectus eidem
Ioannes, Virgo dum fit vtrique parens.
Quantum pollet amor! Iesum in Ioanne videmus;
Imprimit hunc illi dum violentus amor.

SS. Innocentibus.

TAnta ne regnandi Rex ò peregrine libido,
Porcum quàm natum præstet vt esse tuum?
Natum Regem audis, nulli & vis parcere nato.
Quot tu Medeas, quot Lamias superas?
Infœlix, Christo sic hostia grata litatur;
Sic fers vt Domino vera tributa tuo.

Ijsdem.

ENecat Herodes tam præcocis agmina turbæ,
Et sua sic fieri non sua regna putat.
Impie quem queris, sua venit regna daturus;
Et venit, cum tu non tua regna capis.
Tu tibi regna tene, quę non tua iam tua fecit
Aetas, qua veniens Rex sua regna dedit.

Ijsdem.

Ijſdem.

REx impius tragædias
Vicit furore barbaro;
Lactentium grex ſternitur,
Dum Rex latens perquiritur.
Quid quæris inſaniſſime?
Si Chriſtus eſt qui quæritur,
Et te docent oracula,
Speras Deum te vincere?
Vel te magiſtro perfidi,
Vel tu magiſtris perfidis,
Dum quæritis fugacia,
Et vera regna perditis.

ΕΙΣ ΤΑ ΑΓΙΑ ΝΗΠΙΑ.

ΝΗπιάχων ἀΐω μινυρίσματα· τίς ῥα νεογνῶν
Θρήνος ὅδ'; ὀμφακίας πικρὸς ἔμαρψεν ἄρης.
Η κακὰ Ηρώδου ὀλοόφρονος ἔπλετο βουλά.
Ω φθόνε, ὡς μανίας ἦσθα χερειότερος.
Τίς σέο δηλήμων φόβος ἔγκατα ἐμβρυοφόντα
Εἷλε; τίς δ᾽ ἐξ ἁπαλῶν ἐστὶ μόθος βρεφέων;
Ερρε κακᾶς φύσεως κακὸν ὠὸν, δύσνοε, δύσπαις,
Ωμότερε σκύλλας, αὐτοχάρυβδις ἐών.
Πῶς οὐχ οἷα Κύκλωψ σάρκας φάγες, ὃς γαλαθηνοὺς
Δαρδάπτων, μαλακῶν αἷμα πίες μελέων;

Πῶς συδὸς ἀγνώδων, ἀνδρῶν φάγες ὀπταλέον κῆρ;
  Αἰνολέων, ἀγρίας ἄρκτου ἔχων κραδίαν.
Ψεύδομαι, οὐ κραδίην πάντως ἔχες, ἀλλὰ σιδήρου
  Ἐγκατάσοι μήτηρ ἔνθετο γινομένῳ.
Σοὶ γενέτις γλαυκὴ καὶ ἀμείλιχος ἦε θάλασσα,
  ΕΥτε βίας ἀνέμων πάντοθεν ὀρνυμένης
Λαίλαψ, ἡ δὲ θύελλα βαρύβρομα κύματα μίσγει.
  Νυκτὸς ὅτ᾽ ὀρφναία πόντον ἔχει νεφέλα.
Καί σέ τι κῆτος ἑὸν, τυτθὸν τρέφεν ἠδ᾽ ἀτίταλλεν,
  ΟΥ δελφὶν, ὃς ἔχει κῆρ μερόπεσσι φίλον.
Α πάτερ ἀγριόθυμε, κατέκτας ἦα, κατέκτας,
  Μηδείης νικῶν παιδοφόνοιο νόον.
Πῶς ζωῆς μιν ἄμερσας, ὃ πρὶν κακομήχανε δῶρον
  Τικτομένῳ δῶκας σπέρματος ἐκ σφετέρου;
Ω τοίου γενέταο τρὶς ἄξιε, οἷος ἔφυσθα
  Σεῖο γόνοις γενέτης. ὢ φύσις, ὢ κακίη.
Ω μέγα δυναμένη φύσις ὤλεο, ὤλεο πάμπαν.
  Μηκέτι ἦα πατὴρ, παῖς τε τίοι γενέτην.
ΕΙδ᾽ ἀτρεκὲς, γάστρην ὅτι δάκνει φόρτος ἐχίδνης,
  Μητροφονεύς τε γόνος δέρκεται ἠέλιον.
Αθλιε, παιδὶ φύσις μοῖραν ὤπασε πατρὸς ἑοῖο
  Καὶ γονέων, γονέες δ᾽ ἔτι φονεῖς τεκέων.
Ανθ᾽ ἑνὸς ὃν βώστρεις, τόσσον νέφος ὤλεσας ἀνδρῶν,
  Πατρίδα χηρώσας, σκῆπτρά τε σῆς παλάμης.
Οὐδέ σ᾽ ὀδυρομένων ἀπερύκανε δάκρυ γυναικῶν,
  Οὐδὲ πόσου φίλτρου φείσαο κυσσαμένων.

Μητί-

Μητέρες ὦ συγναὶ, ταῖς ἥδιον, ἥδιον οὐδὲν,
  Ἡ βρεφέων ὁρᾶαν ὄψιας ὑμετέρων.
Ορνίθων γενεὴν μακαρίζετε, αἳ πτερύγεσσι
  Κρύπτουσιν θαλερὰς πρόσφυγας ὀρταλίχους.
Ἦσαν ἀμαζονίδες γένος οὐ σθενὲς, ἀλλὰ γυναῖκας.
  Δείγματος ἀρχαίου ζῆλον ἔχοιτε νέον.
Ἀλλ' ὦ νηπιάχων νέφος ὄμβριμον, οἵγ' ἐν ὀλύμπῳ
  Παίζετε, τοῖς ἰδίοις αἵμασι λουσάμενοι.
Μνωόμενοι παθέων, τάπερ ἔκφυγεν ὑμετέρη σάρξ,
  Πρὶν ψαῦσαι πελάγεις ὅρμον ἔχοντες ἄκρον.
Νήπιον εἰσορόωντες, ὅσυ πάρα καὶ μόρον ἱρὸν,
  Καὶ βίον ἀντὶ μόρου δρέψατε τερπόμενοι.
Παίζετε, ὡς γὰρ ἔοικεν· ἐμῆς δ' ἄρα μνήμονες οὖσης,
  Αἰτέετε κρυερῶν φύξιν ἐμοὶ παθέων.



In Herodem.

QVæris vt occidas; nō hoc eſt quærere Chriſtũ
  Herodes; certis quæritur ille modis.
Qui ſua non quærit, nec ſe, Chriſtũ ordine quærit;
  Tu tua, te quæris, nec bene conquereris.
Et quia ſic quæris, quærendo vt perdere poſſis,
  Te perdis, dum alios perdere poſſe putas.

Iiſdem.

EST qui ſponte cupit fieri pia victima Chriſto,
  Nec fit; & eſt qui fit, quod pius ante cupit.

Est etiam qui fit, sed fit non præscius ipse.
Sic sæua Herodis victima grata fuit.
Fluminis exornat Baptismum mersio trina,
Baptismum exornat flaminis ordo triplex.

Ijsdem.

HOstia cesa Deo nulla olim humana placebat;
Hostia nunc illi non magis vlla placet.
Infanti infantes cæduntur victima Christo,
Et morti mortem reddere, summus amor.
Non cruor hircorum, non taurus me iuuat, inquit;
Me iuuat effusus pro pietate cruor.

Ijsdem.

E Necat infantes vesana satellitis ira,
Et furit Herodes, & fugit ille puer.
Ille puer, quem elusa petit vigilantia Regis;
Qui fugit, & cœlum complet & omne solum.
Non mortem ille puer, te Rex fugit impie; viuit,
Morte sua vt mortem destruat ille puer.

S. Thomæ Cantuariensi.

SParsisti cerebrum Thoma, ceu nobile semen;
Nunc seges ex tanto semine nulla venit.
Relligionis enim dum se caput Anglia fingit,
Quis caput hoc cerebrum prorsus habere putet?

Die festo S. Siluestri.

VT placeat Petro Cornelius, extasis vrget;
Et cōmune nihil Petro mandatur habendū.
Vt Constantinus Christo se traderet, ipse
Cum Paulo Petrus mandat per somnia visus.
Siluesterque latens accersitur indice Petro.
Somnia sic Petro, & per Petrum somnia fiunt,
Gentibus vt ferret fidei primordia Petrus;
Romanusque foret primus tibi Christe fidelis,
Et Romana fides fidei sit regula veræ.

S. Siluestro Papæ.

DVm latebras quæris gelidis Siluester in antris,
Quæreris, & prædam visa superna docent.
Fis præda, & captus Dominū capis ipse tenentem,
Romanum & Christo subijcis imperium.
Scilicet hæc Agni virtus, vt vertat in Agnos,
Agnorum cupidos quos facit ira lupos.

Eidem.

LEpra lepram curat, dant balnea sęua cruoris,
Balnea quę meritum vimq. cruoris habent.
Sic sibi te pietas pie Constantine piauit;
Quamque pater coluit, plus colis ipse fidem.

Sic duce Siluestro, quæ sceptra profana gerebat,
Vrbs nunc sceptra Petro principe mixta gerit.

Eidem.

CVr tibi Siluestri nomen posuere parentes?
An vero impositum cœlitus illud erat.
Sylua erat omnigenũ facta Vrbs æterna ferarum;
Hanc purgare tuum maxime pastor opus.
Hinc tu Siluester, quod syluam excideris: ergo
Antiphrasim passum nobile nomen habes.

Eidem.

DE sylua in syluam accitur Siluester in Vrbẽ,
De sylua vt fieret frugifer Vrbis ager.
Succidit syluam Siluester acumine verbi,
Et mox syluicolas expulit inde feras.
Expulit inde Deos, & regnat Petrus in Vrbe,
Et Deus est Christus, floret & Vrbis ager.

Eidem ad Soractem.

NOn fugit Petrus, sed te Christe ille negauit;
Siluester fugiens non tamen ille negat.
Ille negans, mortem non fugit; dum fugit iste,
Se negat incerto tempore velle mori.
Ad mortem Petrus quæsitus fugerat Vrbem;
Hic fugiens, Vrbis quæritur à Domino.

Non fugiens, moriẽs Petrus eſt diademate cinctus;
Romæ nõ moriens hic diadema capit.
Nec tamen oppoſita oppoſitos res arguit illos:
Chriſto namque facit, quicquid vterque facit.

Eidem.

IVſſerat è tenebris lucem ſplendeſcere Plaſtes,
Forma tenebrarum ſed fuit illa nihil.
His quoque de latebris Romæ lux maxima fulſit,
Quæ tibi Silueſter ſacra fuere domus.
Sed magis id mirum, latebris quod victus ab iſtis
Imperij ſplendor nunc velut vmbra iacet.

S. Romanæ.

VIx bene luſtra duo teneris impleuerat annis,
Plenaque conſilij Virgo ſenilis erat.
Sedula Silueſtrum quærit Soractis ad antra,
Antra & viuifico fonte renata petit.
Alloquio ſacræ Virgo dignata Columbæ,
Et Conſtantino Principe nobilior.
Morbis optauit curandis ille lauacrum;
Romana, vt Chriſto ſponſa tenella foret.

IANVARIVS.



In Circumciſionem Domini.

EN quo ſumma Dei demiſſa eſt gloria; ferro
Natus heri abradi vult ſibi pelliculam.
Cęcus amor, non ille videt, niſi quicquid amato eſt
Vtile; non curat, quod videt eſſe ſuum.
Hoc ne vile putes, ſumit venerabile Ieſu
Nomen, cui flecti debeat omne genu.

In eandem.

OMnia ſunt octo venerando in nomine Ieſu;
Octaua hoc etiam lux tibi Chriſte dedit.
Sanguinis at primum dat circumciſio fontem,
Et ſeptem reliquos mors violenta dabit.

In eandem.

INdex raſa caro fuerat, quod crederet Abram;
Infans Chriſte caro quid tibi raſa notat?
Tu fidei Dominus nihil eſt quod credere poſſis,
Siue homo cum videas omnia, ſiue Deus.
An quia non poteras dici ſine ſanguine Ieſus;
Vt ſis vera ſalus, eſt tibi raſa caro.

In eandem.

SI genus erigitur mortale in nomine Iesu,
Nomine cur Iesu flectitur omne genu?
Lanx iusta est; scelerum flexit se pondere Iesus;
Flectimur erecto, qui prius erigimur.

In Epiphaniam.

SEu lymphas tu vina facis, siue indice stella
Quęreris, aut vnda fluminis ablueris.
Quod facis est vnũ, quod te posse omnia monstrat.
Nunc posse hęc eadem quis tibi Christe neget?
Da fontem, mutentur aquę, noua lumina conde;
Sic ego te toties vindice saluus ero.

In eandem.

CVm radios Phaethon nostrum diffundit in Orbem,
Extinctis facibus sydera diffugiunt.
Nunc Sole exorto discurrens stella videtur;
Heus, quid portendit nobile prodigium?
Enarranda noui latet antro gloria Solis,
Solem stella nouum narrat adesse Deum.

In eandem.

SAt dixisse fuit; fili deest copia vini;
Vtque adsit vini copia, Christe facis.

Et matri hoc visus voluisse negare petenti,
Te tamen ostendis posse negare nihil.
O' matris pietas, ò summa potentia nati;
Hæc optata hominum vincit, at illa Deum.

In eandem.

O *Blata Christo munera*
A' perbeatis Regibus,
Et matre digna dicimus,
Regina Virgo Virginum.
Est Virginalis gloria
Fulgentis auri puritas;
Thus venter, altor numinis;
Cor myrrha, ferro saucium.
Vtrisque quadrant munera,
Nato, parenti Virgini.
Et procedentes principes
Cum nato adorant Virginem.
Beata Virgo Virginum,
Infunde nobis munera.
Da thus amorem, lachrymas
Myrrham, sit aurum castitas.

In eandem.

A *Ttrahis primos tibi Christe Reges,*
Rex vt æternus, tua des vt illis
Regna,

Regna, qui Reges tibi ſeruientes
Efficis omnes.
Attrahis primos magices peritos,
Artis eludens magicæ magiſtrum,
Arte qui primos tenuit parentes
Præſtigiarum.
Attrahis primas tibi Chriſte gentes,
Ne ſit Hebræus Deicida primus,
Sors vt ad gentes Abrahæ vocatas
Tranſeat omnis.
Ergo Rex aurum tibi ſume Regum,
Sume thus artis magicæ peremptor,
Sumito myrrham moriture nobis
Chriſte beandis.

In eandem.

DAnt tibi Chriſte Magi morituro munera myrrham,
Dant aurum Regi, dant tibi thura Deo.
At cum ſis diphyes, tria cur tibi munera portant?
An quia Rex vnus, duplus ad ima venis.
Dat Rex, atque capit; tu Rex Deus omnia donas,
Rex homo cuncta tibi tu mala noſtra capis.

In eandem.

STella eſt quæ peperit, ſtella eſt de Virgine natus,
Ducit ſtellicolas Stella coruſca Magos.
Stant illæ, inſolitis fertur ſed motibus index;
Vtque illis trahitur, ſic trahit ipſa Magos.
Sic non ipſe ſuis Sol ortus ſubditur aſtris;
Sed trahit & ſtellas, ſtellicolaſque ſimul.

In eandem.

IAm pertæſus aquas, vini ſe Noe ſatorem
Præbuit, & primus dulcia muſta bibit.
Ipſas mutat aquas in vina ſalubria Ieſus,
Matris & ad votum ſe docet eſſe Deum.
Illa ligant mentem, ſed vina hæc dicere cogunt;
Cur poſtrema datur potio Chriſte tua?

In eandem.

PRoſpiciẽs Helicen flectit ſibi Nauita puppim,
Et ſtella ad ſtabulũ dux præit vna Magis.
Ille vndas ſulcat, gemmas vt quærat & aurum;
Hi dant Regi aurum regia dona ſuum.
Nauita pauperiem fugiens; in paupere Chriſto
Vt lucrum inueniant hi, Deitatis opes.

In eandem.

NOn se purgat aquis, sed aquas baptismate purgat
Christus, & vt generet vim capit vnda nouã.
Vnda olim genuit vasto de gurgite pisces,
Nunc homines generat pignora sancta Deo.
Protulit hæc eadem pennatas vnda volucres;
Nunc homines generat, qui super astra volent.
Vna super cœlos vnda est, quæ temperet ignes;
Et cœlo ciues, dum lauat, vna creat.

In eandem.

ARte olim falsa conatus vincere Mosem,
Ad Christũ vera nunc venit arte Magus.
Ergo Dei digito tunc victum, dextera Patris
Nunc trahit, ars artem vincat vt arte noua.

In eandem.

STella magos ducit, quo Virgo stella trahebat,
Et stellæ in gremio Sol vbi verus erat.
Nulla igitur stellæ virtus, quæ præuia ducit;
Altera si stellam stella beata trahit.

In eandem.

QVod tibi thura Deo, Regi magus offerat aurum,
Sat bene; sed munus cur tibi myrrha datur?
An propere incipiant torqueri ut viscera matris,
Dum myrrhæ extremum cogitat officium?
Eheu, martyribus non cor, sed membra secantur,
Perpetua hæc martyr vulnera cordis habet.

In eandem.

CAesaris ad censum pregnante in Virgine curris,
Et natus censum vis tibi Christe dari.
Tu Regem famulum, Reges Orientis adorant
Te Dominum; at sacrum thus tibi solus habes.
Thus tibi solus habes; nam Rex cum Regibus esse,
Sed non cum socio vis Deus esse Deo.

De Christo sedente inter Doctores.

IPse puer quærit, quæris Iudeæ vicissim
A puero; & stupor est, non puer unde puer.
Ille idem puer hic, scripsit qui in marmore legem;
Esse puer voluit, ne puer ipse fores.
At quia tu puer es, nec te vis crescere, mansit
Tractanda ut puero littera sola tibi.

B. Vir-

B. Virgini quærenti puerum Iesum.

QVærebas puerum Virgo mæstissima Iesum,
Quali animam gladio transfodiente tuam?
Ille inter proceres agitans arcana sedebat,
Et responsa Deo digna loquente dabat.
Sume futurorum præludia Virgo dolorum,
Inferat vt summus gaudia summa dolor.

Eidem.

DVm triduo quęrit puerum Virgo anxia Iesum,
Quæ sunt æterni quærit & ipse Patris.
Quis pater, & mater? quid me, inquit, quæritis ambo?
Bis mihi prognato est vnus, & vna parens.
Tu mihi vera parens, me dicito quærere natum;
Natus ego veri munia quæro Patris.

In puerum Iesum ann. xij.

IMa Deus petijt, ne perdita drachma periret,
Et nunc fit matri perdita drachma suæ.
O puer omnipotens, dum quęris, quęreris ipse;
Nec valet hoc quod tu perdita drachma tibi.

Ergo

Ergo quo drachma es drachma preciosior omni,
Hoc materna dolor viscera maior habet.

Dominica secunda post Epiphaniam.

OMnia de nihilo fecit vox vna creantis,
Nunc tacito imperio vina creantur aquę.
Per verbum è nihilo si res facienda vocatur,
Quid sine prævalida voce iubentis erit?
Mutandis igitur sua vox non defuit vndis;
Virginis ad vocem vina creantur aquę.

S. Paulo primo Eremitæ.

NVlla suis coruus pullis alimenta ministrat,
Et pia Thebano fert alimenta seni.
Duplicat hęc etiam, postquam nouus adfuit hospes,
Quid sibi vult corui tam pia sedulitas?
An quia non rediјt prior olim missus ab arca,
In Paulo pœnas pendit ob ingluuiem.

Eidem.

TE quoque Thesbites zelator coruus alebat,
Sed mane & sero tunc dabat ille cibos.
Non dabat ille cibos Paulo, sed fragmina panis;
Panisque hospitio cum datus, vnus erat.
En

En legis pugiles, en quos dat gratia Christi;
Nouerat & Coruus, quantus vterque foret.

Eidem.

IGnotus nunc Paule fores, ni Antonius isset,
Hospes non nota notus amicitia.
Notus eras coruo; qui cum tibi fragmina ferret,
Hospitis aduentu munera dupla tulit.
Nunc facis hoc notum notus tu nomine coruum,
Vngue rapax nouit quod pius esse pijs.

Eidem.

SIgna manu gestat Martyr victricia, palmã;
Tegmen Paule tibi palma cibosque dabat.
Scilicet vna illis parta est victoria; iugi
Morte tibi assiduus vita triumphus erat.

Eidem.

CIbis Hebræus olim
Commurmurabat plenus;
Vno duobus misso
Fit pane dulcis hymnus.
Vere pius tu Christe,
Vere benignus pastor;
Qui das duobus vnum,
Antonio præsente.

Quas gratias iam Christo
Habere Paulus debet,
Cum totus implet totum
Vtrumque clarè visus ?

S. Antonio.

VErberibus fractus noua bella Antonius optat,
Et Stygias lacera carne triumphat opes.
Vnus mille fugat, fugat vnus mille phalanges;
Et quia laruatos non fugit, ipse fugat.
Esse Deo similem dic te Draco perfide; factus,
Vmbra vmbris minitans, quod valet vmbra, vales.

Eidem.

MIlle tibi Antoni cacodæmon finxerat vmbras,
Spectraque monstrosis pallida imaginibus.
Expertus frustra hæc, vlulatibus omnia complet,
Stridoresque addit noctibus horrificos.
His quoque frustratus, tentanda ait omnia; iamq.
Artubus infligit vulnera mille tuis.
Infelix animum te defecisse putarat.
Incolumen rursus vidit, & ingemuit.
Seu Deus est, inquit, seu bellua cultor eremi ?
Fallimur; haud solus, quem Deus intus agit.

Eidem.

Eidem.

SI vis, Christus ait; volo, mox Antonius inquit.
Tantula vox tanti militis ansa fuit.
Scilicet igniculum cordi hunc iniecerat ille,
Qui mox fornaces creuit in igniuomas.
Arsit amans Christum, Monachis Antonius arsit,
Falsidicos vrit, dæmonas igne fugat.

Eidem.

FVstibus, Antoni, Satanæ laruisque fugandus,
Non fugis, immoto sed pede bella geris.
At contra obsesso multorum è corpore multos
Dæmonas & solo nomine sæpe fugas.
Tanta tibi virtus, tanta est victoria; laruas
Non tu, virtutis sed fugat vmbra tuæ.

Eidem.

EXpuleras miserũ Paradisi è finibus Adam;
Nec mirum, si te fax agit inuidiæ.
Diruta sed si habitat murorum Antonius antra,
Quis liuor? quæ te concitat ira Satan?
Quod si rapta tibi dicas loca, pellere vim vi
Fas est; quid pellens, pulsus & ipse doles?

Eidem.

PRo te Christe mori ferro se Antonius optat,
Sed tanto athletæ non datur ense mori.
Quippe palæstrita is lucta sibi dæmonas omnes
Subdidit, & victor stemmata mille tulit.
Mors vna est ferro, sed lucta hac irrequieta
Tot subijt mortes, quot tulit insidias.

Eidem.

TE cauit Antoni Monachorum turba magistrum,
Laudat Eremicolum sacra caterua ducem.
Tartareæ fugiunt magno te horrore phalanges,
Et metuunt ignes agmina sæua tuos.
Sic per te facilis Satanæ descensus auerno,
Et facili ad superos tramite currit homo.

In Cathedram S. Petri Romæ.

E Domitis populis & se sibi Roma subegit,
Experta imperij sceptra superba sui.
Ergo venis, sedemque locas hic Petre Sacerdos;
Vtque Vrbs obtineat iam tria iura, facis.
Ius habet antiquum sine Cæsare, ius in olympum,
Ius habet in terras stemmate tergemino.

In eandem.

Ἑπταλόφῳ Ῥώμῃ λόφον ὄγδοον ἔνθετο Πέτρος,
Θῶκον, ὅθι κορυφὴ ἄστρα ὑπερθρώσκει.

Ad ſeptem colles vnum Petrus addidit Vrbi;
Dat Cathedram, qua ſe tollit & aſtra ſuper.

In eandem.

IMperio regeret terras vt marte ſubactas,
Roma Sacerdotis filia matris erat.
Vt regat imperio terras non marte ſubactas,
Roma Sacerdotem cœpit habere patrem.
Iure ſuo terras mater dedit Ilia, Petrus
Frænanda imperio dat ſimul aſtra ſuo.

In eandem.

HIc nos eſſe bonum eſt; ſedeſque in monte locandas
Tres tribus aiebas, cum tibi nulla foret.
At cum Petre locas tibi ſedem, deligis Vrbem,
Quæ colles inter tota ſepulta iacet.
Sede ſed imperij detruſa antiſtite ſummo,
Et ſupra nubes erigit illa caput.

In eandem.

OMnia qui complet, ſedem ſibi fecit olympũ,
Et pedibus voluit ſtabilem ſubſternere terram.
Roma ſedente Petro iã Chriſti eſt altera ſedes;
Et Petri merito tellus æquatur olympo.
Quin ſedes etiam, qua iudex Chriſte ſedebis,
Sede Petri, te dante Petro, minus illud habebit;
Omnia quod Petri ſedes ligat, omnia ſoluit;
Illa bonis bona quæque dabit, mala quæque nefandis.

In eandem.

IVdice cum Chriſto ſuprema luce ſedebit
Iſacidis Iudex cætus Apoſtolicus.
Sedes Petre tibi Romę eſt pro Iudice Chriſto,
Quæ terram & cœlos temperet arbitrio.
Sic tua perpetuo non ceſſat Petre poteſtas;
Et tua quod Sedes non habet, orcus habet.

In eandem.

IMperio ſtans Roma ſuo nunquam otia ſenſit,
Bella laceſſitos dum mouet in populos.
Motibus apta quies tandem vt ſuccederet, illic
Sedem Petre locas, & fidei Cathedram.

Non

Non inuicta fuit bellando, at Roma quiescens
Inuicta est, bellis vndique cum premitur.

S. Sebastiano Martyri.

NOn moritur telis confossus mille Sebastus.
(Seminecis nomen sit quoque dimidium)
Non moritur; defensor enim te Ecclesia Christi
Dum tegit, obiecto corpore murus erat.
Corpore tunc, sed solo abigit iam nomine morbos;
Et toties vincit, qui toties obijt.

Eidem.

SI miles ille strenuus,
Aduersa qui fert vulnera;
Quàm strenuum te dixerim
Sebastiane militem?
Aduersa fers tu vulnera,
Quæ dant amoris spicula;
Aduersa fers tu vulnera
Quæ dant Tyranni spicula.
Vt mors amor fortissimus
Sit ceteris; te fortius
Amor sagittis vulnerat,
Quàm mors sagittis vulneret.
Amore iam defeceras,
Dum Christus in te viueret;

Sed morte non prosterneris,
Dum tela mille figeret.
O' Dux beate militum,
O' lux beata Martyrum;
Ecclesiæ quæ militat,
Defensor inuictissime.

Eidem.

TOt patuere fores, quot fixit tela Tyrannus,
Quæ tibi fecerunt mors violenta viam.
Non tamen ingrederis, sed stat post vulnera martyr,
Vt toties martyr, quot tua tela, foret.
Retraxit te forte timor, ne absumeret illuc
Ingressam pectus martyris igniferum.

Eidem in sacellum Villæ Aldobrandinæ.

HOc tibi dat templum, Christi fortissime martyr,
Aldobrandini stemmatis ampla domus.
Vt tibi confosso lethalia nulla fuerunt
Vulnera, sic nullis ictibus illa cadat.
Sed te patrono aut nulla, aut innoxia tangant,
Quæ sors, quæ liuor spicula conijciat.

Eidem.

Eidem.

SPicula cæcus amor stultorum in pectora mittit,
In te qui iecit spicula, qualis erat?
Non fuit vnus amor; nec cæcus vterque, sed alter;
Impietatis amor, & pietatis amor.
Iste cor, is pellem penetrat: sic vulnera figens
Vitæ ille, alterius vulnera nulla facit.

Eidem.

TV tibi Rex psaltes diuini tela timoris,
Quæ tibi configant lubrica membra, petis.
Mille sibi vidit configi membra sagittis
Defensor plebis martyr Apostolicæ.
Quanto præstat amor sua iactans tela timori,
Tantò nobilior martyre martyr erat.

Eidem.

VVlnera sentit amans imis inflicta medullis,
Tu geminata tibi vulnera Martyr habes.
Infixas Christi geris imo corde sagittas,
Infixas arcu percutiente geris.
Non te, in te martyr dicemus viuere Christum,
Vulneribus plenus viuere qui poteras.

Eidem.

Eidem.

SEbaſtiane Martyrum
Lux, forte propugnaculum,
Nec Parthica, nec cretica
Cadis ſagitta ſaucius.
Prorſus giganti maximo
Figunt ſagittas paruuli;
Et paruulorum vulnera
Tu ſpernis inuictiſſime.
Quin & ſagittis impium
Figis loquelæ Principem;
Et figitur qui fixerat,
Et vincitur qui vinxerat.
Quid narro fœdum Principem?
Dum te ſagittæ vulnerant,
Non vulneratum lancea,
Chriſti cor ipſe vulneras.

S. Agneti Virg. & Mart.

AGnam Agnes Agno ſe ſe obtulit; hanc vbi mordet
Dente Lupus, facta eſt Agna Leæna Lupo.
Agnam Agnus, Leo Chriſte tibi vis eſſe Leænam;
Congruat vt ſponſo regia ſponſa ſuo.

Eidem.

Eidem.

PVrpureis vt ſponſa genis ſim pulchrior Agnes,
Agni, inquit, rubeo ſanguine tincta mei.
Mors aberat, poſtes vbi ſanguis tinxerat Agni;
Hæc eadem mortis ſint volo ſigna meæ.
Percute, carnifici ferro, inquit: tingat vt Agnum
Agnes, atque Agno iuncta ſit Agna ſuo.

Eidem.

ESſe iubebatur ſine labe, & maſculus Agnus,
Qui Iudæe tibi nobile Paſcha foret.
Lex vmbrarũ abijt; nunc fœmina gratior Agnes;
Agna quod eſt agno debita Chriſte tibi.
Sed cur illa mihi dicenda eſt fœmina, vicit
Quæ ſexum, & flammas, & genus omne virũ?
Pro Chriſto moriẽs nec mas, nec fœmina Virgo eſt;
Vincit & aligeros fortior illa duces.

Eidem.

VT lupa tu fieres Agnes, in turpe lupanar
Truderis ad rapidi turpia iuſſa lupi.
Non lupa ſis Agnes, ſed te ſubeunte lupanar
Cogitur eſſe agnus qui fuit ante lupus.
Purior ergo Agnes ſub turpia tecta luparum,
Vincis & agna lupas, vincis & agna lupos.

Eidem.

Eidem.

ARſerat flammis mulier beatis,
Quæ pedes Chriſti tetigit beatos;
Audijt magnam tamen illa vocem,
Tangere noli.
Sorte nunc Agnes meliore clamat;
Caſta zelatrix amo, munda tango,
Virgo te Chriſtum capio, ſumuſque
Agnus & Agnes.
Virginis candens pudor antecellit,
Virginem Chriſto dedit ille matrem;
Bis trahit Chriſtum moriens profuſo
Sanguine Virgo.

SS. Martyribus Vincentio, & Anaſtaſio ad aquas Saluias.

IGnem perſa colit, vicit Vincentius ignem,
Et perſa hunc ignem ſpreuit Anaſtaſius.
Vicit vterque ignem, igne illo ſuccenſus vterque,
Quo Pauli ignitos ignea lingua facit.
Quid mirum, ad fontes Pauli ſi accurrit vterque,
Quos igne abſumpſit, fontibus vt recreet?

Ijſdem pro Card. Aldobrandino.

STat ſimul occiduus martyr, ſtat martyr eous;
Et virtutis habet nomen vterque ſuæ.
Omnia vincit amor, Vincentius omnia vicit,
Dum te Chriſte imo pectore totus amat.
Se notat ignicolas ſupra omnes ſurgere Perſas,
Amplexus Chriſti lumen Anaſtaſius.
Spreuit vterque ignem, ſacro igni exarſit vterque,
Aeternos ignes dum pariter fugiunt.
Conueniunt etiam, Pauli quod fontibus æquè
Gaudent, & Petrum gratus vterque fouet.

Eiſdem.

HEſperijs ortus martyr Vincentius oris,
Eois ortus martyr Anaſtaſius.
Alter conueniunt ſacram hinc, inde alter in Vrbē;
Ad fontes Pauli detur vt apta quies.
Conueniunt Aquilæ, quò præſens aduocat eſca;
Conueniunt, vbi fons ſurgit Apoſtolicus.

Eidem S. Vincentio Mart.

OMnia dum patitur Vincentius, omnia vicit,
Et ſimul inuictum vincere ſe potuit.
Victis crate, vngue, & teſta, & cū carcere prunis,
Plura cupit, ſed non vincere plura datur.

Sic

Sic & ſe victo Vincentius omnia vicit,
Et ſoli nouit cedere Chriſte tibi.

S. Timotheo Epiſcopo & Mart.

CVi ſine lege pater, de Iudæ ſanguine mater,
Poſt Chriſtum à Paulo qui recutitus erat.
Timotheus, vario compactum nomine monſtrum;
Doctor habet, paſtor ſtemmata, martyr habet.
In Paulum Sauli tantum conuerſio pollet;
Cum Paulo lucrum cætera Chriſtus habet.

In Conuerſionem S. Pauli.

EFfuſum eſt oleum Chriſti laudabile nomen;
Effundi hic potuit vaſe patente liquor.
Vas erat hoc Paulus: ſed quanta potentia Chriſti!
Vas tetrum, vnguenti vas facit ille ſui.
Quid mirer, figuli vires, an vaſis honorem?
Is planè omnipotens, hoc fuit omnipatens.

In eandem.

IGnis erat Paulus, Chriſtus iam ſparſerat ignẽ;
Ignis vterque vorax, fit noua pugna duum.
Ignis vt abſumat luctantem nititur ignem.
Res mira, abſumptus fortius erigitur.
Tranſijt ignitus ſic priſtinus ignis in ignem;
Fitque cadens maior, qui minor ignis erat.

In eandem.

REx bonus, inde malus Saulus peruertitur vltro;
Vir malus, inde bonus Saulus nō vertitur vltro.
Rex datur Isacidis, asinas dum quæreret ille;
Dum Christum insequitur, præco fit regius iste.
Vicit statura cunctos procerior ille,
Vicit Apostolicis cunctos sudoribus iste.
Gratia non illi mansit, permansit at isti.
Ille sibi mortem, vitam intulit omnibus iste.
Nulla paralleli Saulos proportio iungit,
De Beniamini licet ambos semine natos.
Quid Saulos necto? duo lucis condidit olim
Vasa Deus, veræ sed luci condidit vnum.
Vas electū vnus, Christi vnus lingua loquentis;
Omnibus ille impar; namque omnibus omnia factum
Vni omnes conferre potes, siue omnibus vnum;
Quo portante omnis plena est gens nomine Iesu.

In eandem.

MAne rapax tu Saule lupus, sed diuidis escas
Vespere; non idem, qui tamen vnus eras.
Mira lupi hæc species; lupus es, sed dispare sensu;
Hinc rapis vt serues, hinc rapis vt laceres.

Subdolus

Subdolus vt laceret, ſibi mutat hypocrita pellem;
Non mutas pellem tu tibi, ſed ſtudium.

In eandem.

IN *Paulum Saulus, cum ſignet παῦλα quietem,*
Vt verſus, qui mox irrequietus erat?
An quod Moſaicos ritus ceſſare coegit,
Digno de Sauli nomine Paulus erat?

In eandem.

O*Mnia conuertit reducis conuerſio Solis,*
Indita dum vitæ ſemina reſtituit.
Omnia conuertit Sauli conuerſio, vitæ
Semina dum terris omnibus ille iacit.
Sed noctem, atque hyemẽ patitur Sol; viuida virtus
Pauli non noctem, non hyemem patitur.

In eandem.

N*Ititur in Chriſtum ſtimulos conuertere Saulus,*
Et ſtimulis contra vertitur ille nouis.
Non eſt, Chriſtus ait, ſtimulis quod Saule laceſſes;
Durum eſt in noſtros tendere te ſtimulos.
Paulus eris, ſtimuliſque tibi in contraria verſis,
Omnibus ad Chriſtum tu ſtimulator eris.

S. Ioanni Chryſoſtomo.

SCandis in euectā inuitus Chryſoſtome ſedem,
Vt ſis imperio tuta lucerna nouo.
Tu ceu ſol oriens terram omnem lumine comples,
Et tenebras toto protinus orbe fugas.
Viciſti & Solem; tua lux toto auree Doctor
Orbe micat, toto non ſimul ille micat.

Eidem.

QVæ didicit Paulus cœli ad faſtigia raptus,
Ioannes Paulo verba docente capit.
Os igitur Chriſti Paulus diuina locutus;
Te quoque Ioannes os ſibi Paulus habet.
Aurea quæ fundis Chryſoſtome flumina dicam?
Stercus Paulo aurum, vita loquela tua eſt.

Eidem.

AVrea Pythagoræ qui plūbea carmina dixit,
Quem verbis titulum poneret ille tuis?
Illa ſilentis erant; ſed quæ Chryſoſtome fundis,
Vt mentem ditent, aurea ſemper erunt.

Eidem.

CVi pulchra ex auro ſurgit fūdamine Chriſto
Fabrica, materiē non illi flamma vorabit.

Tota tibi ex auro Chryſoſtome fabrica ſurgit.
Aurum, quicquid agis; quicquid mens concipit, aurum;
Aurum, quod loqueris; pluſque eſt quam fabula finxit,
Quod facis: immutas non quę tu tangis in aurũ,
Nuda ſed eloquij vis omnia mutat in aurum.
Vt, ſi templũ auro fulgens ſibi iactat Hebræus,
Aurea Ioannis ſit viua Eccleſia verbis.

Eidem.

FOemina Ioannis caput abſcidit, altera quærit
Fœmina Ioannis perfidioſa caput.
Serpentis iuſſa eſt caput ipſa vt conterat, anguem
Sed fouet, & ſacrum conterit illa caput.
O Regina tenax, ſtulta es: Chryſoſtomus aurum
Fundit, & expleri tu potes, & renuis.

Eidem.

FLumina pollicitus de ventre fluentia Chriſte,
Flumina Ioannis vis vt ab ore fluant.
Et viuentis aquæ cum cœtera flumina dicas,
Aurea Ioannis flumina ſola facis.
Iactet vt Hebræus quod lac ſibi fluxerit & mel,
Aurea Ioannis flumina Chriſticolæ.

Eidem.

Eidem.

NOn alio poteras Chryſoſtome nomine dici,
Auri ſed titulo iure vocandus eras.
Pulchrior eſt hortus Paradiſo Eccleſia; ſurgens
Fons illi, ergo huic fons debuit eſſe nouus.
Fonſque vt fonte foret pretioſior, aurea currit
Vnda tibi, vitreas ſi dabat alter aquas.

Eidem.

REx proauus Chriſti pſallens modulamine ſacro,
Diuina argentum nuncupat eloquia.
Tu facis hæc aurum nobis Chryſoſtome purum;
Nec calidos adhibes arte iuuante focos.
Ignea ſed quia ſunt tibi cor, labra, organa vocis,
Argentum quæ ſunt, aurea verba facis.

S. Cyrillo Epiſcopo Alexandrino.

QVod puer immanem vicit, ſtrauitque gigantem,
Res noua; ſi contra, res noua nulla foret.
Neſtorium perimis; ſcio te Cyrille gigantem;
Quid mirum? mirum quod cadit ille Draco.
Ille Draco, Mariæ iam non calcanea mordens,
Sed caput, ingenij ſternitur enſe tui.

Eidem.

NOn te Christotocon Cyrillus Virgo vocandã,
Sed vere matrem te probat ille Dei.
Et Deus inde Pater, nati hinc tu fœmina mater,
Pleno estis titulo verus vterque parens.
Omnia si tantum nomen complectitur, ergo
Voce hac Cyrillus dat tibi quicquid habes.

FEBRVARIVS.



S. Ignatio Episcopo & Mart.

ILle est Ignatius, memorant si vera priores,
Protulit exemplum quem tua Christe manus.
Ter felix, quem bis formauit dextera Christi;
Et Deifer, clarum qui meruit titulum.
Fructificũ factus tibi Christe hoc nomine granum,
Sum frumentum, inquit; dentibus ergo molar.

B. Ignatio Fundatori Societatis Iesu.

IGnatius Deifer, Deifer quoque iunior alter;
Ille quod est latus, quod ferat iste Deum.

Ignis

Ignis vterque, Dei zelo quod flagrat vterque.
Prodigus ille ſui, prodigus iſte ſui.
Omnia conueniunt; diſpar hoc vidimus vnum;
Ille feris domitus, cum domet iſte feras.

S. Ignatio Epiſcopo & Mart. & B. Ignatio Fundatori Societatis Ieſu.

E' Corde Ignatÿ ſculpſit ceu marmore Ieſum,
Impreſſumque auro nomen inuſsit amor.
Sed portans nomen, non ſparſit amabile nomen;
Spargeret hoc alter nomen vt Ignatius.
Quod fatum Ignatios portando in nomine Ieſu
Iunxit? Vtri vero ſarcina maior erat?
Is cor totus erat; cor, lingua hic; portat vterque:
Inchoat Ignatius, perficit Ignatius.

S. Ignatio Mart.

VT voret Ignatium, turba eſt immiſſa leonũ;
Pugna fit, & rugit hæc, & rugit ille ſimul.
Dente ruunt auido lacerantes membra leones;
Ille cupit minimis partibus eſſe minor.
Sum tibi, clamabat, frumentum Chriſte molendũ;
Ergo leoninis dentibus imminuar.

Obstupuere omnes, & adhuc post secula centum
Ignatij laudes Amphitheatra sonant.

Eidem.

IN cauea Daniel obstruxerat ora leonum,
Dum supplex Domino tenderet ille manus.
Obstrueret pariter ne vis Christi ora leonum,
Sollicitat multa vi precis Ignatius.
Martyris & vatis quantum victoria differt?
Certat hic vt viuat, certat is vt pereat.

In Purificationem B. Virginis.

QVem cui Virgo offers, redimisque hunc turture? natus
Tam Patris æterni est, quam tuus iste puer.
Turture quem redimis, redimet te sanguine; duplex
Et matri, haud alijs, ille Redemptor erit.
Nam meritis nati facta es sine crimine primo,
Et meritis nati sordibus vna cares.

In eandem.

MAternis auulsum amplexibus excipit vlnis
Infantem, & nescit gaudia ferre senex.
Quid faceret Simeon, puerum si ventre tulisset,
Vt Christum capiunt viscera nostra cibum?

In eandem.

SI tibi primiparæ proles eſt maſcula, legis
Te Virgo antiquæ non ligat imperium.
Quod non ſuſcepto fueris tu ſemine mater,
Vuluaque quod fuerit non adaperta tibi.
Et tamen oblato redimis tibi munere prolem,
Humanum redimet quæ crucifixa genus.
Sed tacitam dixiſſe reor; Pater offero Natum,
Qui tibi par, voluit ſubditus eſſe mihi.

In eandem.

INfelix mandata Dei dum negligit Adam,
Fit carnis legi ſubditus ipſe ſuæ.
Ergo dator legis legi ſe ſubijcit vltro,
Infeſtæ ſoluat legis vt imperium.
Sic data libertas, ſic labe puerpera Virgo
Nos tu, non te ipſam fomite purificas.

In eandem.

NOn das Virgo Agnum, redimis ſed turture Ieſum;
Et das Virgo Agnum, ſi puer Agnus erat.
Te purgandam offers, ſed templo es purior ipſo;
Et legi mater lege ſoluta ſubes.

Læta hæc; ſed gladius, quem vox prænuntia figit,
Eheu, quam multos vertitur in gladios.

In eandem.

QVo puerum longæue ſenex monitore capeſſis?
Et lumen dicis gentibus eſſe nouum?
Agnoſco mihi noto, inquit, monſtrante Magiſtro;
Me docet is, cuius numine totus agor.
Quid vero hic mirum, præſens me cernere lumen?
Inter tot tenebras lux & operta micat.

In eandem.

SI reſponſa tibi Simeon cæleſtia dantur,
A' te fuſa prius quis pia vota neget?
Quam fœlix, quantaque vnus tu ſorte beatus,
Impleta à Domino qui tua vota vides?
Nam ſinus æterni quem fert Genitoris, & ipſe
Fers puerum læto vir venerande ſinu.

In eandem.

OFfert Agna dies decies poſt quatuor Agnũ,
Parque columbarum, quẽ dedit vt redimat.
Res noua, tanti Agni pretium donare columbas;
Res noua, ferre Deo carne tegente Deum.
Sed noua res etiam, quod quæ ſine ſemine fœtum
Edidit, ad templum purificanda venit.

In

In eandem.

IN Patris eſſe ſinu genitus vult Filius, idem
Se vult in niueo Virginis eſſe ſinu.
Bis natum generante vno, lætiſſimus vlnis,
Et plaudente ſinu ſuſcipit hunc Simeon.
Tres habet ergo ſinus; ſed primo totus habetur;
In reliquis & ſi totus habetur, habet.

In eandem.

ANna fuit mater, quæ te Virgo edidit; Anna,
Quæ matrem agnoſcit te peperiſſe Deum.
Sordibus humanis puram prior Anna creauit,
Puram hæc maternis ſordibus Anna canit.
Scilicet hebraicis Anna eſt ſi gratia chartis,
Anna tibi mater, teſtis & Anna fuit.

In eandem.

QVicquid amplexu mulier virili
Fuderit prolis, quod hiante vulua
Maſculum prodit, iubet offerendum
Sanctio legis.
Iura ſi legis tibi cuncta cedunt,
Dicta ſi legis tibi nulla quadrant,
Quid facis Virgo? puerum quid offers
Sedula Ieſum?

Ergo

Ergo non legem metuis, sed imples.
Masculos omnes redimebat agnus;
Omnis hunc agnus puerum notabat
Virginis Agnum.
Sola tu turtur, puer Agnus ille,
Qui cadens mundi scelus omne tollit.
Turtures ergo valet vna cunctos,
Agnus vt agnos.

S. Agathæ Virg. & Mart.

QVis furor insanus, teneram resecare mamillam?
Impie, quæ tantum subijcit ira nefas?
Tollere virgineo si vis de pectore Christum,
Abstrahe cor; sed cor non habet omnis amans.
Cor gerit omnis amans, quò res abducit amata.
Nil agis, olim Agathæ cor sibi Christus habet.

Eidem.

TOllit mammam Agathæ ferro resecante tyrannus;
Et lac vnde fluit, sanguinis vnda fluit.
Abstulit inuitus Iudex, quod fœmina præfert;
Ostenditque Agathæ pectus inesse viri.

Eidem.

Eidem.

VIrgineas Agathæ quod reddis Petre mamillas,
Antiquo id zelo, ſed meliore facis.
Auriculam Malcho præcidere feruor adegit,
Nunc Agathæ mammas reddere cogit amor.
Sed tunc zelus erat pro Chriſto damna ferendi,
Nunc membra vt reddas perdita, zelus agit.

Eidem.

IMmeritam ſe caſta mori Suſanna dolebat;
At ridentem Agatham pergere turba videt.
Fœmina ſi fuit hæc, vnde hæc heroica virtus?
Fœmina vel certe deſijt eſſe minor.
Fortior illa viris, & morte eſt fortior; imo
Fœmineum imperium nouit & ipſe Deus.

Eidem.

IMpie præcidis quas ipſe in matre mamillas
Suxiſti; hæc Agathæ vox patientis erat.
Quid tu inquis Virgo? humanum non ebibit ille
Lac, ſed mater ei ſæua leæna fuit.
Hanc quoque fęmineas aiunt vix tangere carnes;
Sic & matre lea ſæuior ille fuit.

S. Do-

S. Dorotheæ Virg. & Mart.

ABneget vt Christum, Christa & Callista sorores
Suadent Dorotheæ; traxit at illa duas.
Sic plus dimidium toto est; sic fortis amorum
Lucta fit, & vires frangit amoris amor.

S. Romualdo Abb.

LVcifer infelix summo exturbatus olympo,
Pernix, vt fulgur, cæca sub antra ruit.
Ast homini facilis non est ascensus olympo,
Ire illum gradibus sed Romualde vides.
Ad Stygios dux ille lacus, tu ad sidera sudans
Sudantes Monachos Dux Romualde trahis.

S. Apolloniæ Virg. & Mart.

AEtnæus se sponte senex iniecit in ignem,
Dum sibi vult ficti nomen habere Dei.
At Virgo pharia vltro se coniecit in ignem,
Maluit vt Christum martyr habere Deum.
Et tulit hæc diuæ titulos, euanuit ille;
Et vitam flammis hæc parat, ille perit.

Eidem.

IRruit in medios ignes Aegyptia Virgo;
Et stupet hinc pietas, hinc stupet impietas.

Quis

Quis ſtupor? omnis amans vno ſatis vritur igne;
Et corde exuſto quis dolor eſſe poteſt?
Obſtupeat pietas viuas in virgine flammas,
Spernentem flammas impietas ſtupeat.

Eidem.

STulta dabat corpus flãmis exangue vetuſtas,
Viua exurendam ſe dat Apollinea.
Sic prudens, ſic illa holocauſtum nobile Chriſto;
Sic aurum longè purius illa fuit.
Vritur intus, ait, mihi mens; quid demoror ignes?
Det flamma, vt flammis perfruar ipſa meis.

S. Simeoni τῷ θεοδόχῳ.

QVale tibi Simeon reſponſum redditur? ipſum
Ni Chriſtum videas, non morieris, ait.
Hoc eſt oppoſitos rerum promittere ſenſus;
Cum tibi vita aderit, tunc tibi mors aderit.
Aut ergo vidiſſe Deum, iam eſt viuere ſemper;
Aut eſt poſt Chriſtum viuere velle mori.

S. Simeoni Mart.

NVdus erat nuda pendens ex arbore Chriſtus,
Attamen hæredem ſanguinis inſtituit.
Succeſsit Simeon Dauidis ſtirpe creatus;
Sed bona quæ tenuit, non niſi morte tulit.

Vt viuant alij, Simeon ne viueret hæres,
Quæ paſſus Chriſtus, paſſus & ille fuit.

In Cathedram S.Petri Antiochiæ.

BIs ſedem ponis, ſed primum ponis Eois
Petre, dehinc ſedem ponis & Occiduis.
Et facis occidua lux vt ſe fundat ab Vrbe,
Lux prior & ſi vrbi naſcitur Antiochi.
Bis ſedem ponis, ſed ter tibi paſcere dictum,
Omnibus vt paſtor gentibus ipſe fores.

In eandem.

PAſcere iuſſus oues, Cathedrã tibi Petre locaſti;
At Cathedram doctor, non ſibi paſtor habet.
Sed quia verbo etiam, non pane hic viuitur vno,
Paſtor eras, Cathedra dum Petre doctor eras.
Si tu paſtor, oues ſine te ſunt eſca luporum;
Si Doctor, ſine te qui docet, ille nocet.

S. Matthiæ Apoſtolo.

TE ſibi Matthia Chriſtus delegit, vt eſſet
Non tibi ſorte datum, quod tibi ſorte datum.
Nam nec ſorte legi virtus te ſumma ferebat;
Nec tibi ſorte dedit, quod Deus ante dedit.
Sors igitur cecidit, cecidit quò Spiritus ante;
Et quod Chriſtus agit, lex quoque ſortis agit.

MAR-

MARTIVS.



In Monasterium Fossæ nouæ.

Occidit hic Thomas, lux vt foret amplior orbi;
Et candelabrum sic noua Fossa fuit.
Editus ardenti locus est, non fossa lucernæ.
Hanc igitur Fossam quis neget esse nouam?

S. Thomæ Aquinati.

ET Sapiens Salomon & Rex fuit; obstitit illi
Fœmina, ne sibi Rex, ne foret & sapiens.
Thomas & sapiens, & Rex fuit; & dedit illi
Fœmina, quod sibi Rex, quod foret & sapiens.
Quid magis hoc sapiens, quid tandem stultius illo?
Perdidit ille senex, quod puer iste rapit.

Eidem.

FErtilitate soli gaudet Campania felix;
Hæc etiam Thomæ protulit ingenium.
Quod sit terra ferax, terræ vult cedere nulli;
Inuidet ob reliquum nec Paradise tibi.

Arbor

Arbor erat, quæ ſcire dabat; fuit altera Thomas;
Et dedit hæc vitam, ſed dedit illa necem.

Eidem.

ARx erat; incluſus virtutum arx altera Thomas
Hic fuit; arx ſubijt tertia luxuriæ.
Fœmina fax Veneris, fax caſto pectore Thomas;
Impetit arx arcem perfida, faxque facem.
Non leuis hæc pugna eſt, rara eſt victoria; quaſſat
Quaslibet arx arces callida luxuriæ.
Altera quid porro arx? rapta face duplicat ignes,
Tartareæque fugat noxia tela facis.
Sic face fax gemina, ſic victa ars arce receſſit,
Arxque expugnatrix arcis in arce fuit.

Eidem.

VIm patitur cœlum, rapitur vi; te ſibi Thomæ
Vi cœlum, vi ardens Relligio rapuit.
Infert vim mater, vim fratres, vimque ſorores;
Sed vim vi vincit Dominica Relligio.
Raptus ne, an rapiens felicior? an bene Thomæ
Relligio, Thomas relligione tumet?

Eidem.

Eidem.

QVod pueri in medijs non ardent ignibus, igni
Est laus, dum sanctos tangere non patitur.
Thomas fœmineo quod non exuritur igni,
Thomæ est, non ignis palma veneniferi.
Non fugiunt ignem pueri, non ille fugatur;
Sed Thomas ignem dum fugat, ipse fugit.

Eidem.

PIsciculos optat condita vt fercula Thomas;
Cœlitus oblatum non capit inde cibum.
Sat vidisse fuit, sat prospexisse, quod æger
Plus habet à Christo, quam petit à Medico.
Vincitur & vincit Thomas, se victus ab ipso,
Inuictus magni viribus ingenij.

Eidem.

BElla gerunt non ficta homines indagine veri:
Lucraq. victor habet, lucraq. victus habet.
Strenuus hic Thoma dux tu per mille triumphas
Prælia, victores cogis & esse tuos.
Angelus vt vero dici cognomine posses,
Si non impositum iam foret, Angelicus.

Eidem.

BOs qui mutus erat, mugitu perculit Orbem;
Mutaque multiloquum fecit vt ora forent.
Non hominum lingua post iusta silentia fatus,
Sed fatus linguæ viribus Angelicæ.
Si non Angelico Thomas foret ore loquutus,
Quam Paulus linguam denotat Angelicam?

Eidem.

IN Cruce suffixi septem tua Christe feruntur
Dicta, sed octauum Parthenopæus habet.
Tu benè scripsisti de me, quo munere, Thoma?
Contra is; non aliud, te mihi Christe volo.
Audeat ergo aliquis lingua perstringere Thomã,
Quẽ Crucis è Cathedra tu tibi Christe probas?

Eidem.

FVnera, quis credat? Thomæ pia bestia fleuit;
Et sanctis iunxit funera funeribus.
Extinctum vt dominum cognouit mula, cucurrit;
Et Thomæ ad feretrum mortua procubuit.
Vincet Bucephalos, inquit, mea fama superstes;
Post Thomam nullus iam mihi sessor erit.

Eidem.

Eidem.

SEra fides Thomæ, palpando credidit; alter
Dat fidei Thomas, omnibus vt pateat.
Da veniam Thoma; si tu palpando beatus,
Scribendo hic quanta luce beatus erit?

Eidem.

DAs quinque, & lucrum totidem vis Christe talenta;
Sed lucra hæc Thomas multiplicata tulit.
Nam quę implexa capit mens rerũ ęnigmata, solus
Plana satis plano reddidit eloquio.
Difficiles dictu Salomon res esse dolebat;
Quod dolet is, Thomæ sustulit ingenium.

Eidem.

FVsa creaturas sapientia tota per omnes,
Nulli se totam conglomerata dabat.
Totam vnus Thomas Summam collegi tin vnam;
Et nunc tota simul conglomerata datur.
Quid petis Aegyptum studiose, & curris ad Indos?
Quod mens scire potest, hæc tibi Summa dabit.

Eidem.

NOn licuit Thomæ ſummum Summæ addere culmen,
Quam nulla ingenij condere ſumma poteſt.
Et ſumma hinc damni, ſumma & cõſurgit honoris;
Vna vt ſumma mali, ſit quoque ſumma boni.
Eſt ſummum hoc damnum, deſit quòd ſumma coronis;
Hanc quod nemo poteſt addere, ſummus honor.

Eidem.

NEſcio fatalis quæ Thomã exornat vtrumq.
Gloria, dum Dominum tãgit vterq. ſuum.
Ille in carne Deum, hic tangit ſub pane latentem;
Is digito, hic calamo; diſpare ſed merito.
Qui digito tetigit, non præmia prima beati;
Qui calamo tetigit, præmia prima tulit.

Eidem.

TOrre fugat flãmas, & diſijcit ignibus ignes,
Et duplici Thomas nomine victor abit.
Namque prius cæcos compreſſit pectoris ignes,
Inde & flammigeram mænada torre fugat.
Quid iuuat ò Sampſon ſæuos lacerare leones?
Hoc opus, hic labor eſt, ſe ſibi ſubijcere.

S. Melitoni natu minimo inter SS. XL. Martyres.

Vidit vt exanimes athletas poplite fracto,
Viuere mater adhuc & Melitona ſuum.
Semianimẽ complexa, inquit; quid nate moraris?
En mors, en vitæ præmia; martyr eris.
Quod genus hoc matris? vel non eſt nixa, vel olim
Plus grauida hæc Chriſto, quam Melitone fuit.

S. Franciſcæ.

Foemina defuncto cũ ferret aromata Chriſto,
Splendorem Angelicum vidit, & obſtupuit.
Non ſtupet Angelicum prudens Franciſca nitorem,
Sed monitis viuit ſanctior angelicis.
Neſcit fœmineum virtus Romana pauorem;
Satque, quod illa Dei plena timoris erat.

Eidem.

Coniugij caperet ne te Franciſca voluptas,
Vrebat neruos ignea gutta tuos.
Sic tua non lucis fuerat, ſed teda dolorum,
Et lamentorum fons hymenæus erat.
An quia non Virgo, tedam pro lampade ſumis;
Et meritis Virgo, ſumis & ipſa facem.

S. Gregorio Magno.

TV te seruorum scribis ter maxime seruum;
Nos Magnum digno nomine Gregorium.
Magnus es ingenio, magnus pietate; superbis
Magnus, & Eoæ magnus hydræ domitor.
Scribis magna, & magna facis: sic maximus esse
Ille potest, quisquis se minor esse potest.

Eidem.

MOribus ornandis, Christi dictante columba,
Arcana effundit mystica Gregorius.
Et tanta est pietas, tanta illi est copia sensus,
Vt pietas æquè certet & ingenium.
Cæsareos ridere potes iam Roma triumphos,
Verus de vitijs iste triumphus erit.

S. Iosepho.

ESse putabatur Christus de semine fabri;
Non erat hoc, fabro sed patre natus erat.
Qui mare diffudit, qui vt pellem extendit olympũ;
Et rides, quod sit filius ille fabri?
Iosephi hoc meritum, Iosephi hæc gloria, dici
Quod non ipse fuit, quod Deus ipse fuit.

Eidem.

SPonſus es, & ſponſi neſcis commercia Ioſeph;
Crederis eſſe pater, nec potes eſſe pater.
Aptior eſt titulus quem das, quã quem accipis; vno
Tu genitor titulo, re faber ipſe Deus.
O' ter felicem, dici cui contigit vni,
Quod ſimul eſſe potes, quod minus eſſe potes.

Eidem.

CVr Ioſephe vocem ſeruũ te in pauca fidelem,
Credita cui Virgo, Virginis & ſoboles?
Tu neque conſtitui poteras in multa, nec vllus
Reſtabat meritis dignior ordo tuis.
Euge pater Chriſti, ſi non re, nominis vmbra;
Sed cui re voluit ſubditus eſſe Deus.

Eidem.

CRedita ſunt alijs diuiſa talenta, ſed vni
Se Ioſephe tibi credidit ipſe Deus.
Credidit & Matrem; quid plus tibi crederet ille?
Omnipotens dederat quotquot habebat opes.
Nec plus ille daret, nec tu plus reddere poſſes.
Ergo vnus lucri fœnore liber eras.

S. Benedicto.

AEstuat insolito Benedictus, & vritur æstro;
Vt vim propellat, vim facit ipse sibi.
Acrius vt bellum; nudo, inquit, membra palæstræ;
Spinarum stimulis & stimulos abigit.
Omnia vincit amor; vinci quis credat amorem?
Est tamen, est alius victor amoris amor.

Eidem.

VT vepres culta arua darêt, maledictio fecit;
Vt sit spina ferax, tu Benedicte facis.
Illa tibi stimulos cæci vna retorsit amoris,
Spinaque virtutum germina tanta tulit.
Sic merito Benedicte tuo maledictio cessit,
Dum licet è spinis lilia sancta legi.

B. Virgini Annunciatæ.

VNa Dei mundum vox condidit, vnaque lapsum
Virginis æternæ vox pia restituit.
Ille creans, fiat; fiat mihi, protulit illa.
Fortius hoc primo, nobiliusque fuit.
Illud nempe creat, recreat quod fœmina dixit;
Et facit vt fiat & Deus ipse caro.

Eidem.

Eidem.

ALiger esse Deo plenam te Virgo fatetur,
Et plenam Verbo te fore rursus ait.
Ter felix, bis plena parens; nam qui omnia cōplet,
Nec capitur, capitur Virgo bis ille tibi.

Eidem.

TVrbat Virgo tuum noua res, nō visio pectus,
Angelus vt dixit, Plena salutis Aue.
Sed turba hæc rerum potuit componere turbam;
Turba hac sedata est vindicis ira Dei.
Attulit æternum turba hæc iustissima fœdus,
Vnus vt & verus sit Deus, & sit homo.

Eidem.

MOx vt fictam hausit serpentis fœmina vocem,
Credidit, & facili mente venena bibit.
Stulta fides hæc est; tua sed prudentia Virgo
Rem probat, & vocem ponderat Angelicam.
Stulta fides mortem, quæ non erat, intulit orbi;
Cauta fides summo traxit ab Orbe Deum.

Eidem.

Eidem.

DAt Gabriel titulum, titulos qui ſupprimit omnes;
Et Virgo ancillam ſe generoſa vocat.
Tam vaſta hæc animi virtus ab ſede paterna
Vnigenam traxit Virginis ad gremium.
Ergo vt ſerui habitu Rex ille eſt, regnat & illa,
Se licet ancillam regia Nympha vocet.

Eidem.

DIxit vt ancillam Domini ſe regia Virgo,
Virginis in ventrem ſe Deus inſinuat.
Vnius & potuit tantum vox vna puellæ,
Legibus vt videas omnia facta nouis.
Facta parens Virgo, factum Adæ patria Cœlum,
Factus homo Deus eſt, & Deus vnctus homo.

Eidem.

IAm Deus Emmanuel, iam fœta in Virgine plenum
Prolificæ Matris cernimus officium.
Sanguine Virgineo formam induit ille virilem,
Qui noſtrum è terra virgine finxit opus.
Terra tamen virgo tulit & primordia mortis;
Sed dum Virgo parit, mors inimica perit.

Eidem.

Eidem.

MEns tibi plena Deo fuerat, cor numine plenum,
Ortus labe carens lumine plenus erat.
Omnia virtutum te ornabant agmina plenam.
Venter erat vacuus regia Virgo tibi.
Ne vacuum detur, ventrem tibi Filius implet,
Ex te patre carens, ex Patre matre carens.

Eidem.

OFfert ſalutem Nuntius
Nulli datam mortalium;
Aue Puella, gratia
Quæ plena fies plenior.
Tu nil ſalutis Angelo
Refers, ſed vnum cogitas,
Quàm grande ſit negotium,
Quod Angelus pronuntiat.
Non tu ſalutem nuntias,
Dum re ſalutem concipis:
Et verba profers paucula,
Verbo Deo pleniſſima.

In Ieiunium.

ANnua mandauit Christus ieiunia, quando
Prima fuit vetitus mortis origo cibus.
Hem, quid opus crimen primi memorare parētis,
Fortius irritat si gula nostra Deum?
Ieiunaturo datur indulgentia ventri;
Stultè, namque patens fit minus ille potens.

Die Cinerum.

VNctus ad expositos ibat luctator agones,
Nos vocat inspersos ad noua bella cinis.
Vnctio luctantum reddebat labile corpus,
At mortis memores nos facit iste cinis.
Vni tantum illic victoria certa dabatur,
Palma hic athletis omnibus æqua datur.
Pinguis ibi neruus, dant hic ieiunia vires;
Hostis ibi, hic victus quisque fit ipse sibi.
Pugna hæc est maior, sibi se substernere; victus
Surgat vt ad vitæ præmia perpetuæ.

Eodem.

SI cinis in cinerem vertendus conflor, & inflor;
Quid si de massa nobiliore forem?
Qui tamen è vili conflatos puluere dixit,
Ille Deo natos dixit & esse Deos.
Vt longè distant cinis, & cœlestis origo;
Sic simul vt sapiam summa, vel ima decet.

Eodem.

BIs duo constituunt si nos elementa, quid vnũ,
Quæso, reuersuri dicimur in cinerem?
Scilicet è nihilo mortales esse monemur,
Et pœnè in nihilum vertimur in cineres.

Eodem.

VT panẽ cineres Rex factus adulter edebat,
Nos capiti impositos flectimur ad cineres.
Vnius vt sceleris maculam detergeret ille,
Innumeris picti nos animi maculis.
Tantum posse pios cineres quis crederet? index
Mortis præseruat mortis ab exitio.

Eodem.

SOluere fallaces virtus analytica nodos,
Dum totum in partes soluitur, arte docet.
Heu

Heu miseros homines; mixta offert omnia sensus,
Et nihil explicitum mens malè mersa videt.
Detegit errorem vox hæc analytica nostrum;
Es cinis, in cinerem rursus abibis homo.

In Euangelicum Centurionem.

Feria quinta.

IPse parens fidei, populi sator, inclytus Abram
Degeneres vltro defleat Abramidas.
Militis alma fides in pectore fortius ardet,
Et palmam Christo iudice promeruit.
Quid non prisca sibi virtus Romana subegit?
Subdidit illa armis arma, fidemq́ue fide.

In eundem.

QVam prius infudit, miratur Christus in illo,
Qui bene credebat, Centurione fidem.
At magis id mirum, quòd non miretur, Hebræo
Cui dedit ipse fidem, vix tamen esse fidem.
Id magis est etiam mirum, miretur vt ille,
Qui solus quæ vult, omnia mira facit.

Feria sexta.

VT sit vita tibi, tibi non eris, inquit amicus;
Hostibus, vt viuas, non inimicus eris.

Christi lex odium, lex Christi mandat amorem;
Has inimicitias, hanc & amicitiam.
Qua tu lege facis, tibi sis ne prauus amicus,
Fratribus hac prauis non inimicus eris.

Christo Redemptori.

QVàm bonus, iniustis qui & iustis iussit oriri
Solem, & muneribus ditat vtrosq̃. suis?
Nec tamen iniustis, & iustis iussit oriri
Iustitiæ solem conditione pari.
Sol oritur iustis, iniustis occidit ille;
Et bonus hinc donans, & bonus inde negans.

Sabbato.

QVid mirer, liquidum Christus quod obambulet æquor,
Pennas ventorum si facit ille viam?
Nempe ferebatur super vndas Spiritus olim.
Non minor est, qui nunc per mare carpit iter.
Non premitur Plastes assumpto pondere carnis,
Pondere sed nostri criminis opprimitur.

Dominica Prima.

QVid Satan tentas, vbi nulla technam
Vis capit? Ludis muliebre pectus;
Omnis in Christo sua tela vibrat
Mascula virtus.

Regna

Regna promittis fugitiuus, exul;
Consulis lapsum miser ipse lapsus;
Saxa vis fiant tibi sumpta panes,
Saxeus ipse.
Regna dat Christus sua Rex, Creator;
Erigit lapsos oriens ab alto;
Corda vel duris grauiora saxis
Sanguine mollit.

Eadem.

QVid tibi vis lapides in panes perfide verti,
Omnia qui semper deteriora cupis?
Mollia corda hominum qui corda in saxea vertis,
In panes verti nunc tibi saxa petis.
Tu durum in saxum versus bella irrita tentas:
Nulla petram Christum frangere saxa queunt.

Eadem.

ET prior, & leuior tentata est fœmina quondam;
Alter Adam Christus nunc prior appetitur.
Lapsa virum traxit mulier, sed robore Christi
In statum erigitur vir mulierq; suum.
Et cadit in foueam Dæmon, quam foderat ipse,
Arte sua victor, victus & arte sua.

Feria

Feria ſecunda.

HOrrida cæleſtes cum ſiſtet buccina curſus,
Et fœtus effæta ſuos natura negabit;
Quæ periere prius, cum non peritura redibunt,
Terrifico clangore dabunt cum buſta ſepultos;
Omnia cum ſolui flammis elementa videbis;
Quid facies, quò te mea mẽs perterrita vertes?
Tu rea, tu teſtis; qui iudex, obſtrepet idem.
Non fuga, non lachrymæ; nuda omnibus omnia fient.
Si rea, ſi teſtis, ſimul aduerſaria, Iudex
Nunc tibi ſis, te tuta tuo ſine crimine ſiſtes.

Feria tertia.

QVis iſte Rex eſt gloriæ?
Quærunt trementes Angeli.
Quis hic aſellis inſidens?
Quærunt frementes impij.
Quæ tanta cœlis motio,
Quæ tanta terris motio,
Intrante pacis Principe?
Rex iſte cœlo dæmonas,
Rex iſte templo nundinas
Rumore pellit maximo.
Sed cur Deum Dauidicè

Iudæa notum iactitat,
Si Iesus ignotissimus?
Et Iesus ignotissimus,
Et Iesus est notissimus;
Idem superbis abditus,
Qui paruulis est agnitus.

Feria quarta.

Portenta Christum flagitant adulteri,
Adulterino procreati semine;
Gens, Abrahami quæ vocat se filiam,
Mentita semen Patriarchæ maximi.
Abram fidelis se vocanti credidit;
Hi signa quærunt infideles filij.
Sed signa quærunt, signa dantes pessima;
Et signa Christus dum negat, dat maxima.
Quod curiosa mente signum stultius?
Quid morte Christi detur efficacius?
Quocumque versa, signa præfert veritas;
Quocumque versa, se reuincit falsitas.

Feria quinta.

Deuictus est tentator
Per syllogismos Christi;
Et syllogismo Christum
Nunc Chananæa vincit.

Respon-

Reſpondet ille tandem;
Nunquam catellis dandus
Eſt filiorum panis.
Canem fatetur illa
Se; ſed catellis inquit
Micæ negantur nunquam,
Quas menſa dat cadentes.
Et vicit illa Chriſtum,
Et facta voti compos;
Et ſexus is triumphat
De Rege Regum Chriſto,
Quem vicerat malignus.
O' fœminæ virtutem,
Quam Chriſtus admiratur.
Iacob pius luctator
Femur palæſtra læſit;
Luctata fortiorem
Se Chananæa præſtat.

Feria ſexta.

MOtibus angelicis vni dabat vnda ſalutem;
Et prior vt ſanes tu quoque corda moues.
Vis turbabat aquas, prompta hic quæſita volũtas;
Et das eſſe bonos, das quoque velle bonos.
Non habeo, non dicat homo, qui ſubleuet ægrum,
Aeger ſi te hominem Chriſte vocauit homo.

Sabbato.

LVx oriente venit, nõ Sole cadente sub vndas,
Occiduus Sol Christe tuam vis spargere lucem ,
Cum Sol iustitiæ, cum sis lux filia lucis .
Quin ex alto oriens, radios non mittis ab alto;
Sed lucis Dominus das quo lubet ordine lucem.
Ergo fit eclipsis sumpta tibi corporis vmbra ;
Et splendere iubes assumpti corporis vmbram;
Ne det Apostolicis mors proxima mentibus vmbram .
Vt solem agnoscant radios te Christe tenentem,
Et soli radios crucis ipsa morte negantem .

Dominica secunda .

VIsus est Moses rutilante vultu ,
Lucis vt fonti propior locutus :
Nunc videt lucis radiare fontem
Corpore Iesum .
Zelus Heliæ superas vocauit
Hostiæ flammas; videt is datorem
Tunc sibi flammæ superare solis
Lumine flammas .
Serua lex Christo venit & Prophetæ ;
Insonat magno Genitor sonore ,

Et

Et ratam Petri docet esse vocem,
Quæ beat illum.
Quem Dei prolem Patris ille dixit,
Hunc vocat caram Pater ipse prolem.
Hoc & Helia Petrus, atque Mose
Plus tulit vnus.

Feria secunda.

QVis tu es? de Christo quærit male sanus Hebræus;
Crebraque de Christo quæstio talis erat.
Is, primi quod prima libri vox indicat, esse
Quo terra & cœlum facta leguntur, ait.
Ergo, inquit, sine me peccans morieris Hebræe;
Nam sine principio quis tibi finis erit?

Feria tertia.

MOsaicam cathedram Scriba & Pharisæus habebat;
At non consimili dote magister erat.
Tardiloquus Moses viua pietate docebat;
Aptior hic verbis, frigidus actor erat.
Vnam ergo Cathedram non vna dote docentem,
Vt discant homines, non imitentur, habent.

Feria quarta.

DExtrā vni quærit, læuā vni prouida mater;
Nec facta hęc Christus vota negando negat.
Ipse calix, non vna illi quem sorte biberunt,
Præpositos varia conditione facit.
Fœmina quid quereris? sociorum, filius alter
Primus martyr amans, alter amatus erit.

Feria quinta.

SI. Gaza diues affluat,
Noli cor illi tradere.
Vires cor omnes possidet,
Trahitque quò res pertrahunt.
En diues auro deditus,
Immersus altis ignibus:
Et Lazarus pauperculus
In Abrahæ complexibus.
Vtrique cor sitiuerat;
Et res dat ignes ignea,
Et spes bonum refrigerans;
Vterque quod dilexerat.
Amor tyrannus cordium
Ad concupita pertrahens,
Coniuncta reddit præmia,
Contrarijs contraria.

Feria ſexta.

QVi vineam plantauerat,
Muſti liquore feruido
Dum lætius perfunditur,
Inebriatus dormijt.
Et vineam plantauerat
Altiſſimus pulcherrimam,
Dulces vt vuas carperet,
Spinas at illa protulit.
Quin vineæ cuſtodibus
Vt miſit ille ſeruulos,
Tunc colligendis fructibus
Legauit ipſum filium.
Illi furore perciti,
Saxo, machæra, fuſtibus
Vt perdiderunt ſeruulos,
Et perdiderunt filium.
Quid multa Chriſte perfidis?
Non vina te, ſed charitas,
Et magna Patris viſcera
Iugi liquore inebriat.

Sabbato.

QVanta Patris pietas? redeuntem amplectitur ille
Natum, & nudato priſtina reſtituit.

Prodigus hic fuerat, pariter fit prodigus ille;
Et pinguem vt vitulum det sua mensa, iubet.
Heu, si rem inspicias, plus quanto est prodigus ille,
Qui natum occidi pro famulis voluit.

Dominica tertia.

MVlta iactabat tibi verba Python
Paule, sed mutus silet ante Christum.
Nempè præsenti dare verba Verbo
Dæmones horrent.
Pellitur dæmon, loquiturque mutus;
Et suo Christus digito medetur;
Dextra quod Patris digito potente
Omnia tangit.
Mutus est dæmon, mulierque clamat;
O' ter immensis titulis beatum,
Qui Deum venter tulit, & puellum
Vbere pauit.
Turba blasphemat, mulier dat hymnum.
Christus hoc plenè celebrandus vnum
Optat, vt matrem vocites beatam.
Tempore quouis.

Feria secunda.

IN patria spectatus
Propheta non est vllus.

Nec

Nec Christe te spectatum
In patria videmus,
Nec te foris spectatum;
Sed ciuibus non carum,
Et aduenam non carum.
Habent latebram vulpes,
Habent volucres nidum;
Non lar tibi, non sedes,
Vbi caput reclines.
Cur patriam tu dicis,
Rex patriæ cœlestis,
Qui patrias ad sedes
Nos exules inuitas?

Eadem.

ESse nihil patria iucundius, inquit Homerus;
Nil etiam ciui durius est patria.
Quisque solum natale cupit, sed nemo propheta
Ciuibus acceptus cernitur in patria.
Fortibus ergo viris aut omnis patria tellus,
Patria vel tandem solus olympus erit.

Feria tertia.

SI benè corripias, fratrem lucrabere frater;
Si male corripias, perdis, & ipse peris.
Sic

Sic homini procul alter homo, vel proximus illi;
Sic Deus eſt homini, vel lupus alter homo.
Et legislator perfecti Chriſtus amoris,
Lædentem læſus ſi tibi concilies.

Feria quarta.

QVæ ſua tradiderant ſeniores, ſeruat Hebræus;
Et premit hæc mentem vana ſuperſtitio.
At contra hæreticus, negat olim tradita priſcis;
Et ſcripta hæc quærit vana ſuperſtitio.
Extremis vitium, medio ſtat limite virtus;
Nec falſa is teneat, vera nec iſte neget.

Feria quinta.

QVi vocat è nihilo quicquid creat, imperat idem,
Et iuſſa in nihilum peſſima febris abit.
Deque domo Petri febris depellitur omnis,
Ferueat vt tantum zelus amante Petro.
Pellitur abſumens febris, ſed viſcera zelus
Dum vorat, interno numine viuificat.

Eadem.

MAgna ſocrus Petri dum magnis febribus ardet,
Tangitur, & morbi vis inimica perit.

Ipſe

Ipſe Petrus dum calcat aquas,& mergitur vndis,
Clamat, & extenſa prenditur ille manu.
Vnius vna Petri languores expulit vmbra;
Quodque ſibi Chriſtus non tulit, ille tulit.
Et Petrus, Petrique domus fugat vndiq. morbos.
Quæ fugit à Petro, morbida languet ouis.

Eadem.

TEcta ſubis Petri Synagoga Chriſte relicta,
Et virtute tua languida ſurgit anus.
Vnus Chriſte Petrus tanto dignatur honore,
Aeternum vt Petri ſit domus hoſpitium.
Si qua domus Petri non eſt, licet omine Chriſti,
Hæc Satanæ veris eſt ſynagoga notis.

Eadem.

FEbribus ardebat tibi Petre ægerrima Socrus,
Vrebat Chriſti te quoque multus amor.
Illa ſuos ignes Chriſto tangente fugauit,
Hoc etiam creuit nomine flamma tibi.

Feria ſexta Samaritanæ, præſente Cardinali Beuilacqua.

CVm ſit lympha tibi, qua lymphæ tota cupido
Tollitur, humana conditione ſitis.

Et

Et petis, vt puteo mulier trahat extera lymphas;
Et promittis aquas fundere Christe tuas.
Nostra tuæ fundantur aquæ per pectora Christe,
Petri Villam heros dum Beuilacqua tenet.
Sic nobis æterna salus, tibi gloria maior,
Si non sola tuas fœmina potet aquas.

Eadem.

VNa fatigato sit lucrum fœmina Christo;
Quantæ molis erit, cuncta sibi trahere?
Felix ò mulier, cui non ænigmata fatur;
At de se Christus, sum tibi Christus, ait.
Quærenti nomen Mosi, responderat olim,
Sum quod sum; sed nunc, sum tibi Christus, ait.

Eadem.

FOns sedet ad fontẽ quęrens quas ebibat vndas,
Et quærens cui fundat aquas fons viuus aquarum.
Quæ sitis hæc, vt fons sitiat, sitibundaq. quærat
Pectora, ne sitiat poto post nectare potor?
Nec potat quas poscit aquas, nec vescitur esca;
Recreat vna salus fæmellæ viscera Christi;
Hic cibus, hic potus lassos refrigerat artus.
Hanc tu Christe sitim nostris infunde medullis:
Vt nos ipse sitis, sic te sitiamus & ipsi.

Nec

Nec ſit noſtra ſitis, liquidus quam reprimit humor;
Sed quā lympha explet ſaliens ad præmia vitæ.

Sabbato.

DEprehenſa Chriſto iudicanda ſiſtitur,
Quæ mœcha legem pertimebat vindicem;
Et captioſis quæſtio ſit artibus,
Vt legis eſſet, vel reæ contrarius,
Hinc abſolutor Chriſtus, inde perditor.
Scripto locutus ille non in marmore,
Humi legenda dat malis oracula,
Hoc indicante perfidis ænigmate.
Inſcripta libro ſunt piorum nomina,
Lex ſcripta Moſi frigido bis marmore,
Scribetur altis viua lex in cordibus;
Scriptos humi vos ſumma fert iniquitas.

Dominica quarta.

GErmen auulſæ fuit Eua coſtæ,
Satque pars toti fuit extruendæ.
Artifex idem pariter quod olim
Addidit, addit.
Quinque ſunt panes tibi Chriſte maſſa;
Tangis, & ſurgens tibi maſſa creſcit;
Tangis,

Tangis, & Plastæ digitos potentes
Copia monstrat.
Piscibus turbam satias duobus.
Conditor pisci benedicis orto,
Nunc & assato benedicis, vnde
Creuit in escam.
Cuncta pro nobis tibi Christe crescunt,
Cuncta decrescunt tibi carne sumpta;
Angelis quando minor es ministris,
Ipse ministrans.

Eadem.

ET viuus panis tu Christe, & diceris ἰχθῦς.
Nam tu quicquid habes, hoc sibi nomen habet.
Panem ergo panis, piscem das nomine piscis.
Sed potus populo cur tibi nullus erat?
Panis tu, & vitis; quæ das, plena omnia donas;
Et cibus est potus, potus & ipse cibus.

Eadem.

E' Costa vt fieret vitæ comes Eua marito,
In manibus creuit paruula massa tuis.
Turbæ Christi tibi satiandæ panis vt esset,
In manibus creuit paruula massa tuis.

In manibus minor vna tuis ſit pœna malorum;
In manibus creſcunt omnia dona tuis.

Eadem.

QVi prius imperio liquidam mutauerat vndã,
Nunc manibus panis fragmina multiplicat.
Illud matris amor, ſponte hoc miſeratio præſtat;
Hoc natura, illud gaudia noſtra petunt.
Scilicet ipſe ſua mundum pietate gubernat,
Virginis ad votum gratia quæque venit.

Feria ſecunda.

PVrgauerat beatas
Per Michaelem ſedes;
Rebellibus fugatis
Rebellium creator.
Sui parentis ædem
Chriſtus repurgat ipſe.
Et verberando nectit
Flagella mercatori.
Cogente zelo Chriſtus
Dat ſigna maieſtatis;
Quem ſeruitutis forma
Ardens amor velarat.

Quis fortior duorum?
Zelus; coegit ille,
Amor ſuas vt ferret
Vires honori Patris.

Feria tertia.

HAec duo ſunt, quæ mille ſolent generare querelas;
Scilicet eſſe meum, ſcilicet eſſe tuum.
Vocibus inſolitis miranti Chriſtus Hebræo;
Et mea ſunt, inquit, nec mea quæ doceo.
Si ſaperes Hebræe, Patris quæ propria noſſes;
Et non eſſe meum, cur trahat eſſe meum.

Eadem.

MIrantur omnes, & ſtupent ſcientiam,
Quam Chriſte fundis non magiſtro traditam.
Tuam vocas tu non tuam ſcientiam.
Et nodus hic eſt altero perplexior.
Et ſtulta vanæ gentis admiratio,
Quæ ſcire primum per ſecundum negligit.
Donatus olim plurima ſcientia
Rex Rege natus, vate vates inclytus,
Noctu petitam acceperat ſcientiam.
Si Chriſtus ergo non petita diſputat,

Puellus

Puellus olim, nunc virili gratia,
Hebrææ tanto cæcus es cur lumine?
Non est stupendum, quod iubar sol procreet.
Lux luce nata nil habet forinsecus;
Et quod suum dat, inde semper accipit;
Mentis paternæ fœtus expressissimus;
Fons Patre, matre fons fluens è Virgine.

Feria quarta.

QVicquid creasti, vel creas, lux perficit,
Lux Christe, lucis nate, lucis conditor.
Lucem malignus & Draco spoponderat,
Sed cæcitate duplici nos perculit.
Tu cęcitatem luce lux exterminas,
Bis tu Creator, & Creator millies,
Qui luce semper nos noua redintegras.
Et limus illi lucis indit organa,
Cui prima limus est origo corporis.
Lux ergo vera tu videnda maxime,
Das quæ videre, quo videre possumus.

Eadem.

VT scelus admissum est, oculos sibi sensit apertos,
Et nudo erubuit corpore primus homo.

At Christo liniente, oculos sibi sensit apertos,
Qui natus, nullo crimine cęcus erat.
Vidit vterque, oculos vt primum sensit apertos;
Is videt vt pudeat, hic videt vt lubeat.

Eadem.

VT videant oculi, confert præsentia solis;
Sed dare quę videant, lumina nulla potest.
Sol tu vtrumque facis; nil te sine Sole videtur,
Et cæco vt videat, lumina Christe creas.
Hoc etiam differt; sol visus lumina cæcat;
At nisi te videant lumina, cæca manent.

Feria quinta.

VNius ob crimen mors læta irrepsit in orbem,
Aspera de miseris victo velut hoste triumphans,
Prosternens omnes, non exorabilis vlli.
Imprudens, iuuenem prædata, fit obuia vitæ.
Horrida mors stupuit; vita indignata triumphum,
Imperat infaustam mortis subsistere pompam.
Et præhenso iuueni, Tu, inquit, de morte triumpha;
Quam moriturus ego spoliabo iure triumphi.
Improba mors fugiens Iudæi encomia risit,

Dixerit eximium quod ſurrexiſſe Prophetam.
Mentis inops, ſenſuque carens, gens perfida, dixit;
Quos ego non ſtraui violenta falce Prophetas?
Qui iubet vt fugiā, qui verbo tartara frangit,
Ille Prophetarum Rex eſt cognomine vero.

Feria ſexta.

EReptum feretro iuuenem mors victa dolebat.
Lazarus excitur tumulo; fit maximus illi
Clamor, & inſolitis vlulatibus omnia complet.
Si clamantis, ait, vox abſtrahit vna ſepultos;
Ecquid erit, cum ſponte ſua morietur & ipſe?
Infelix mors, morte tua morieris & ipſa,
Ante eius faciem magno ſeruata triumpho.
Quid iuuat in primū ſententia lata parentem?
Quid proſtraſſe iuuat, ſi corpora lapſa reſurgunt?
Id magis, id doleo, quod mors ſerpente vocata,
Antidotum moriens, moriens ceu vipera, fiam.

Sabbato.

QVæ tibi lux vitæ eſt, quam Chriſte ſequentibus offers,
Si lux quæque homini vitalia munera fundit?
An tua non patitur noctem, non angulus illam

Flectit, perspicuo nec segregat illa colores:
Sed menti illabens tenebras eliminat omnes;
Flexaq. non lumen, viuum sed gignit amorem;
Disiungitque bonis praua, & mendacia veris:
Et facit accensas tua lux infusa lucernas,
Per noctem ne fallat iter; lux vltima donec
Luceat, in soles & Sol tua lumina mutes.

Dominica Passionis.

Q*Vis tibi impingat bone Christe crimen,*
Siue tu summo Genitore natus,
Siue tu pura Genitrice natus,
Fons bonitatis?
Cuncta cum possis, nihil est, quod vnum
Non potes: crimen nihil est: id vnum,
Id fugit solum tibi Christe vires
Omnipotentes.
Finget Hebræus tibi teste crimen,
Sæua qui mortis dare saxa vellet;
Sed necem saxo fugis, immolandus
Ignibus Agnus.
Vidit hoc felix Abrahamus olim;
Lætior viso moriente Christo,
Quam sibi quando moritura proles
Victima vixit.

Feria ſecunda.

TE ſitit Hebræus morti, miſſuſque ſatelles;
Et ſacro clamore offers ſitientibus vndam,
Quæ fluuios dat pota nouos, non prona petentes,
Vt pelago reddantur aquæ; ſed diſpare curſu
Viuentes viuentis aquæ, ſublime volantes.
Te ſitit Hebræus; tua te ſitientibus offers;
Et ſitio, clamas, dum te Crux aſpera portat.
Prima ſitis gignit mala mortis filia mortem;
Altera diuino ſitis eſt in pectore viua;
Eſt quoque Chriſte ſitis, quam noſtro in pectore quæris,
Non orta à nobis, ſed fit ſitis addita nobis.
Da tu Chriſte ſitim, quam quæris, fons & aquarum,
Infuſorque ſitis, nullo quæ tempore ceſſet.

Feria tertia.

ET lucem & nomen frater tibi conſulit; ipſe
Et lucem & nomen dum iubet ille, fugis.
Et lux vera lates, & ſpernis nominis vmbram.
Quod facit ille, negas; quod negat ille, facis.
Non capit humana æternam prudentia mentem;
Quæ res, & rerum tempora diſtribuit.

Et ne prophetam gens haberet impia,
Vnus prophetat, nec prophetat integrè.

Sabbato.

OMnipotens audit Genitor te Christe petentē,
Omnipotentē audit te quod & orcus habet.
Te mare, te venti, dominum te tartara norunt;
Redditur imperio Lazarus vnde tuo.
Nam tua si potuit vox rerum condere molem,
Quid non hæc posset, dum lachrymantis erat?

Eodem.

FErro necandus Isaac.
Deo vetante vixerat;
Resuscitatus Lazarus
Ferro necandus quæritur.
Quàm patrijs vestigijs
Insistit ardentissimè
Gens Abrahami filia,
Alumna gens Diaboli?
Effusor ille sanguinis
A' sæculi primordijs;
Peremptor illa corporum,
Peremptor ille mentium.

Semel

Semel mori mortalibus
Lex eſt; tamen bis mortuum
Excire bis quid impedit
Vitæ neciſque principem?

Dominica Palmarum.

SOlus, iò, victor; ſolus tu Chriſte triumphas,
Morte tua ſolus qui tria monſtra domas.
Pallida mors, ſceleriſque lues, erebique tyrannus,
Iam depaſta homines te moriente cadunt.
Non homo præſtare hoc poterat, nō Angelus; vnus,
Vnus, iò, victor tu tria Chriſte domas.

Eadem.

CAede percuſſi tumidi gigantis
Inclytum David reducem puellæ
Vt receperunt, cecinere læto
Ore triumphum.
Obuiam mixtis modulis euntes,
Tympanis, ſiſtris, choreis canentes.
Mille ſed Regi, decieſque Dauid
Mille dederunt.
Vmbra ſi tantum meruit triumphum,
Veritas quanto potior triumpho
Chriſte Rex, bello tribus interemptis
Hoſtibus vno?

Is

Sic homini procul alter homo, vel proximus illi;
Sic Deus eſt homini, vel lupus alter homo.
Et legislator perfecti Chriſtus amoris,
Lædentem læſus ſi tibi concilies.

Feria quarta.

QVæ ſua tradiderant ſeniores, ſeruat Hebræus;
Et premit hæc mentem vana ſuperſtitio.
At contra hæreticus, negat olim tradita priſcis;
Et ſcripta hæc quærit vana ſuperſtitio.
Extremis vitium, medio ſtat limite virtus;
Nec falſa is teneat, vera nec iſte neget.

Feria quinta.

QVi vocat è nihilo quicquid creat, imperat idem,
Et iuſſa in nihilum peſſima febris abit.
Deque domo Petri febris depellitur omnis,
Ferueat vt tantum zelus amante Petro.
Pellitur abſumens febris, ſed viſcera zelus
Dum vorat, interno numine viuificat.

Eadem.

MAgna ſocrus Petri dum magnis febribus ardet,
Tangitur, & morbi vis inimica perit.

Ipſe

Ipſe Petrus dum calcat aquas, & mergitur vndis,
Clamat, & extenſa prenditur ille manu.
Vnius vna Petri languores expulit vmbra;
Quodque ſibi Chriſtus non tulit, ille tulit.
Et Petrus, Petrique domus fugat vndiq. morbos.
Quæ fugit à Petro, morbida languet ouis.

Eadem.

TEcta ſubis Petri Synagoga Christe relicta,
Et virtute tua languida ſurgit anus.
Vnus Christe Petrus tanto dignatur honore,
Aeternum vt Petri ſit domus hoſpitium.
Si qua domus Petri non eſt, licet omine Chriſti,
Hæc Satanæ veris eſt ſynagoga notis.

Eadem.

FEbribus ardebat tibi Petre ægerrima Socrus,
Vrebat Christi te quoque multus amor.
Illa ſuos ignes Christo tangente fugauit,
Hoc etiam creuit nomine flamma tibi.

Feria ſexta Samaritanæ, præſente Cardinali Beuilacqua.

CVm ſit lympha tibi, qua lymphæ tota cupido
Tollitur, humana conditione ſitis.

Et petis, vt puteo mulier trahat extera lymphas;
Et promittis aquas fundere Christe tuas.
Nostra tuæ fundantur aquæ per pectora Christe,
Petri Villam heros dum Beuilacqua tenet.
Sic nobis æterna salus, tibi gloria maior,
Si non sola tuas fœmina potet aquas.

Eadem.

VNa fatigato fit lucrum fœmina Christo;
Quantæ molis erit, cuncta sibi trahere?
Felix ò mulier, cui non ænigmata fatur;
At de se Christus, sum tibi Christus, ait.
Quærenti nomen Mosi, responderat olim,
Sum quod sum; sed nunc, sum tibi Christus, ait.

Eadem.

FOns sedet ad fontẽ quęrens quas ebibat vndas,
Et quærens cui fundat aquas fons viuus aquarum.
Quæ sitis hæc, vt fons sitiat, sitibundaq. quærat
Pectora, ne sitiat poto post nectare potor?
Nec potat quas poscit aquas, nec vescitur esca;
Recreat vna salus fæmellæ viscera Christi;
Hic cibus, hic potus lassos refrigerat artus.
Hanc tu Christe sitim nostris infunde medullis:
Vt nos ipse sitis, sic te sitiamus & ipsi.

Nec sit nostra sitis, liquidus quam reprimit
humor;
Sed quã lympha explet saliens ad præmia vitæ.

Sabbato.

DEprehensa Christo iudicanda sistitur,
Quæ mæcha legem pertimebat vindicem;
Et captiosis quæstio fit artibus,
Vt legis esset, vel reæ contrarius,
Hinc absolutor Christus, inde perditor.
Scripto locutus ille non in marmore,
Humi legenda dat malis oracula,
Hoc indicante perfidis ænigmate.
Inscripta libro sunt piorum nomina,
Lex scripta Mosi frigido bis marmore,
Scribetur altis viua lex in cordibus;
Scriptos humi vos summa fert iniquitas.

Dominica quarta.

GErmen auulsæ fuit Eua costæ,
Satque pars toti fuit extruendæ.
Artifex idem pariter quod olim
Addidit, addit.
Quinque sunt panes tibi Christe massa;
Tangis, & surgens tibi massa crescit;
Tangis,

Tangis, & Plaſtæ digitos potentes
Copia monſtrat.
Piſcibus turbam ſatias duobus.
Conditor piſci benedicis orto,
Nunc & aſſato benedicis, vnde
Creuit in eſcam.
Cuncta pro nobis tibi Chriſte creſcunt,
Cuncta decreſcunt tibi carne ſumpta;
Angelis quando minor es miniſtris,
Ipſe miniſtrans.

Eadem.

ET viuus panis tu Chriſte, & diceris ἰχθῦς.
Nam tu quicquid habes, hoc ſibi nomen habet.
Panem ergo panis, piſcem das nomine piſcis.
Sed potus populo cur tibi nullus erat?
Panis tu, & vitis; quæ das, plena omnia donas;
Et cibus eſt potus, potus & ipſe cibus.

Eadem.

E' Coſta vt fieret vitæ comes Eua marito,
In manibus creuit paruula maſſa tuis.
Turbæ Chriſti tibi ſatiandæ panis vt eſſet,
In manibus creuit paruula maſſa tuis.

In

In manibus minor vna tuis fit pœna malorum;
In manibus crescunt omnia dona tuis.

Eadem.

QVi prius imperio liquidam mutauerat vndã,
Nunc manibus panis fragmina multiplicat.
Illud matris amor, sponte hoc miseratio præstat;
Hoc natura, illud gaudia nostra petunt.
Scilicet ipse sua mundum pietate gubernat,
Virginis ad votum gratia quæque venit.

Feria secunda.

PVrgauerat beatas
Per Michaelem sedes,
Rebellibus fugatis
Rebellium creator.
Sui parentis ædem
Christus repurgat ipse.
Et verberando nectit
Flagella mercatori.
Cogente zelo Christus
Dat signa maiestatis,
Quem seruitutis forma
Ardens amor velarat.

Quis

Quis fortior duorum?
Zelus; coegit ille,
Amor ſuas vt ferret
Vires honori Patris.

Feria tertia.

H*Aec duo ſunt, quæ mille ſolent generare querelas;*
Scilicet eſſe meum, ſcilicet eſſe tuum.
Vocibus inſolitis miranti Chriſtus Hebræo;
Et mea ſunt, inquit, nec mea quæ doceo.
Si ſaperes Hebræe, Patris quæ propria noſſes;
Et non eſſe meum, cur trahat eſſe meum.

Eadem.

M*Irantur omnes, & ſtupent ſcientiam,*
Quam Chriſte fundis non magiſtro traditam.
Tuam vocas tu non tuam ſcientiam.
Et nodus hic eſt altero perplexior.
Et ſtulta vanæ gentis admiratio,
Quæ ſcire primum per ſecundum negligit.
Donatus olim plurima ſcientia
Rex Rege natus, vate vates inclytus,
Noctu petitam acceperat ſcientiam.
Si Chriſtus ergo non petita diſputat,

Puellus olim, nunc virili gratia,
Hebræe tanto cæcus es cur lumine?
Non eſt ſtupendum, quod iubar ſol procreet.
Lux luce nata nil habet forinſecus;
Et quod ſuum dat, inde ſemper accipit;
Mentis paternæ fœtus expreſſiſſimus;
Fons Patre, matre fons fluens è Virgine.

Feria quarta.

QVicquid creaſti, vel creas, lux perficit,
Lux Chriſte, lucis nate, lucis conditor.
Lucem malignus & Draco ſpoponderat,
Sed cæcitate duplici nos perculit.
Tu cęcitatem luce lux exterminas,
Bis tu Creator, & Creator millies,
Qui luce ſemper nos noua redintegras.
Et limus illi lucis indit organa,
Cui prima limus eſt origo corporis.
Lux ergo vera tu videnda maxime,
Das quæ videre, quo videre poſſumus.

Eadem.

VT *ſcelus admiſſum eſt, oculos ſibi ſenſit apertos,*
Et nudo erubuit corpore primus homo.

At Christo liniente, oculos sibi sensit apertos,
Qui natus, nullo crimine cęcus erat.
Vidit vterque, oculos vt primum sensit apertos;
Is videt vt pudeat, hic videt vt lubeat.

Eadem.

VT videant oculi, confert præsentia solis;
Sed dare quę videant, lumina nulla potest.
Sol tu vtrumque facis; nil te sine Sole videtur,
Et cæco vt videat, lumina Christe creas.
Hoc etiam differt; sol visus lumina cæcat;
At nisi te videant lumina, cæca manent.

Feria quinta.

VNius ob crimen mors læta irrepsit in orbem,
Aspera de miseris victo velut hoste triumphans,
Prosternens omnes, non exorabilis vlli.
Imprudens, iuuenem prædata, fit obuia vitæ.
Horrida mors stupuit; vita indignata triumphum,
Imperat infaustam mortis subsistere pompam.
Et præhenso iuueni, Tu, inquit, de morte triumpha;
Quam moriturus ego spoliabo iure triumphi.
Improba mors fugiens Iudæi encomia risit,

Dixerit

Dixerit eximium quod ſurrexiſſe Prophetam.
Mentis inops, ſenſuque carens, gens perfida, dixit;
Quos ego non ſtraui violenta falce Prophetas?
Qui iubet vt fugiã, qui verbo tartara frangit,
Ille Prophetarum Rex eſt cognomine vero.

Feria ſexta.

EReptum feretro iuuenem mors victa dolebat.
Lazarus excitur tumulo; fit maximus illi
Clamor, & inſolitis vlulatibus omnia complet.
Si clamantis, ait, vox abſtrahit vna ſepultos;
Ecquid erit, cum ſponte ſua morietur & ipſe?
Infelix mors, morte tua morieris & ipſa,
Ante eius faciem magno ſeruata triumpho.
Quid iuuat in primũ ſententia lata parentem?
Quid proſtraſſe iuuat, ſi corpora lapſa reſurgunt?
Id magis, id doleo, quod mors ſerpente vocata,
Antidotum moriens, moriens ceu vipera, fiam.

Sabbato.

QVæ tibi lux vitæ eſt, quam Chriſte ſequentibus offers,
Si lux quæque homini vitalia munera fundit?
An tua non patitur noctem, non angulus illam

Flectit, perspicuo nec segregat illa colores:
Sed menti illabens tenebras eliminat omnes;
Flexaq. non lumen, viuum sed gignit amorem;
Disiungitque bonis praua, & mendacia veris:
Et facit accensas tua lux infusa lucernas,
Per noctem ne fallat iter; lux vltima donec
Luceat, in soles & Sol tua lumina mutes.

Dominica Pasſionis.

QVis tibi impingat bone Christe crimen,
Siue tu summo Genitore natus,
Siue tu pura Genitrice natus,
Fons bonitatis?
Cuncta cum possis, nihil est, quod vnum
Non potes: crimen nihil est: id vnum,
Id fugit solum tibi Christe vires
Omnipotentes.
Finget Hebræus tibi teste crimen,
Sæua qui mortis dare saxa vellet;
Sed necem saxo fugis, immolandus
Ignibus Agnus.
Vidit hoc felix Abrahamus olim;
Lætior viso moriente Christo,
Quam sibi quando moritura proles
Victima vixit.

Feria

Feria ſecunda.

TE ſitit Hebræus morti, miſſuſque ſatelles;
Et ſacro clamore offers ſitientibus vndam,
Quæ fluuios dat pota nouos, non prona petentes,
Vt pelago reddantur aquæ; ſed diſpare curſu
Viuentes viuentis aquæ, ſublime volantes.
Te ſitit Hebræus; tua te ſitientibus offers;
Et ſitio, clamas, dum te Crux aſpera portat.
Prima ſitis gignit mala mortis filia mortem;
Altera diuino ſitis eſt in pectore viua;
Eſt quoque Chriſte ſitis, quam noſtro in pectore quæris,
Non orta à nobis, ſed fit ſitis addita nobis.
Da tu Chriſte ſitim, quam quæris, fons & aquarum,
Infuſorque ſitis, nullo quæ tempore ceſſet.

Feria tertia.

ET lucem & nomen frater tibi conſulit; ipſe
Et lucem & nomen dum iubet ille, fugis.
Et lux vera lates, & ſpernis nominis vmbram.
Quod facit ille, negas; quod negat ille, facis.
Non capit humana æternam prudentia mentem;
Quæ res, & rerum tempora diſtribuit.

Feria quarta.

QVid iuuat Hebræum celebrare encænia templi,
Si veteratricis non innouat intima mentis?
Sæpe quod audiuit, quod vidit, quærit & optat;
Et suspensam animam dolet esse cupidine veri.
Sed non audit ouis, iam dente armata lupino;
Nec pastorem audit fur & mactator iniquus.
Nouit pastor oues, naturam indutus ouinam
Vt reuocaret oues, notisque agnoscitur illis.
Nouit oues, qui scripto hædos in codice nescit.
Nouit oues, qui pascit oues, non pascitur illis.
Nouit oues, ouibus qui dat, non vellera tondet.
Nouit oues, quas nosse sibi nil addit amanti;
Sed quibus æterna est pastorem agnoscere vita.

Feria quinta.

QVæ iam trahebat fœmina
Lasciua lasciuissimos,
Potentiore cernitur
Amoris ictu pertrahi.
Quæ lachrymas extorserat
Vberrimas amantium,
Vi lachrymarum crimina
Abstergit immanissima.

Quæ

Quæ plurimos deceperat
Turrita flauis crinibus,
Captiua sacratissimos
Pedes capillo amplectitur.
Vnguenta fundit optima,
Et mille libat oscula,
Quæ ciuitatem putridis
Fœtoribus repleuerat.
O' Virginum quinario
Prudentiorem fœminam.
Non Virgo vicit Virgines,
Lux facta pœnitentium.
Si conferas conuiuia,
Dat Magdalena lautius.
Christi replet præcordia
Non mensa, sed mens integra.

Feria sexta.

NEscitis, inquit, nec videtis quippiam,
Qui velle Christum non reum videmini.
Tollatur vnus, vt salus sit omnibus.
Et sit propheta non propheta spiritu,
Aptè locutus tam scelestus Pontifex.
Saluam volebat ille gentem perfidam,
Romanus ensis quam funditus sustulit.
Et fusa cunctis iam salus est gentibus.

Et ne prophetam gens haberet impia,
Vnus prophetat, nec prophetat integrè.

Sabbato.

OMnipotens audit Genitor te Christe petentẽ,
Omnipotentẽ audit te quod & orcus habet.
Te mare, te venti, dominum te tartara norunt;
Redditur imperio Lazarus vnde tuo.
Nam tua si potuit vox rerum condere molem,
Quid non hæc posset, dum lachrymantis erat?

Eodem.

FErro necandus Isaac.
Deo vetante vixerat;
Resuscitatus Lazarus
Ferro necandus quæritur.
Quàm patrijs vestigijs
Insistit ardentissimè
Gens Abrahami filia,
Alumna gens Diaboli?
Effusor ille sanguinis
A' sæculi primordijs;
Peremptor illa corporum,
Peremptor ille mentium.

Semel

Semel mori mortalibus
Lex eſt ; tamen bis mortuum
Excire bis quid impedit
Vitæ neciſque principem ?

Dominica Palmarum.

SOlus, iò, victor ; ſolus tu Chriſte triumphas,
Morte tua ſolus qui tria monſtra domas.
Pallida mors, ſceleriſque lues, erebique tyrannus,
Iam depaſta homines te moriente cadunt.
Non homo præſtare hoc poterat, nō Angelus; vnus,
Vnus, iò, victor tu tria Chriſte domas.

Eadem.

CAede percuſſi tumidi gigantis
Inclytum David reducem puellæ
Vt receperunt, cecinere læto
Ore triumphum.
Obuiam mixtis modulis euntes,
Tympanis, ſiſtris, choreis canentes.
Mille ſed Regi, decieſque Dauid
Mille dederunt.
Vmbra ſi tantum meruit triumphum,
Veritas quanto potior triumpho
Chriſte Rex, bello tribus interemptis
Hoſtibus vno ?

Is gigantæo gladio gigantem,
Tu malam perdis moriendo mortem.
Is leui funda, baculo, lapillis;
Tu Cruce victor.
Morte proſtrata Satan euiratus;
Morte proſtrata perit illa peſtis,
Nexa quæ morti trahit vna mortem
Horrida noxa.
Ergo non ſiſtris, choreis, puellis
Tu, ſed Oſanna celebraris hymno,
Rex, triumphator, domitor, redemptor,
Omnia ſolus.

Feria ſecunda.

IVda monetæ ſupputator optime,
Sector honorum publicorum maxime,
Sed æſtimator mercium turpiſſime.
Vnguenta centum ter dares denarijs,
Vendis magiſtrum ter decem numiſmatis.
O' cæcitatem mentis inſaniſſimæ.
Amore Chriſtus cum ſui fit prodigus,
Amore nummum tu facis te perditum.
Vtrumque adegit, vſsit ardor plurimus,
Vtrique finis vt ſuus contingeret.
Se Chriſtus orbi fundit vnguen piſticum,
Tu fundis alto fune pendens viſcera.

Feria

Feria tertia.

OBiecta mortis poculi potatio,
Obiecta monstra criminum fœdissima,
Obiecta Patris ira summi vindicis,
Obiecta pugna quoquo versus horrida
Non sat, sed intus pugna surgit maxima;
Fis Christe pugnans tu tibi contrarius.
Amor, timorque; mens, caro te distrahunt;
Duplex voluntas, & palæstra sensuum.
Et tanta sæuit partium conflictio,
Vt imber ortus sanguinis decurreret,
Sudante mente, corde, fronte, corpore;
Ne terra dumos, sed rosas produceret,
Et messis inde pullularet martyrum.
Si prima tanto pugna sudat sanguine,
Quantum cruoris exprimet vis barbara?

Feria quarta.

AD murmur ingens fons Hebræo fluxerat,
Cædente virga bis petram durissimam.
Nunc impiorum non pijs nepotibus
Vt grata fiat res, caro tenerrima
Non cæsa bis, sed mille, mille verberum
Ictu cruoris mille fontes euomit.
Et vt dolorum Rex foret notissimus,

Sacro

Sacro coronam ſpineam fert vertice,
Infixa ſenſus quæ cruentet intimos.
Quo tanta Chriſte ſanguinis profuſio?
Cur ſim ipſe tanti, tu tibi viliſsimus?
Immenſa fallit Chriſte vel te charitas,
Vel nos creaſti tu Deos hoc ſanguine.

Feria quinta.

FOrtius ad finem impellit violentia pondus,
Naturam grauitas cum duplicata ciet.
Impulit è cœlo fortis te pondus amoris,
Et ſacrum es lapſus Virginis in gremium.
Fortius impellens hinc tanti pondus amoris,
Fecit vt humanis ſubiicerere malis.
Sed vis Chriſte fuit fortiſsima ponderis huius,
Proxima cum morti vita laborque fuit.
Ipſe tuis manibus te fers, te porrigis ipſe;
Te dans ipſe prius, quam morerere datus.
Et tota grauitate actum ſic pondus amoris
Preſsit, vt ad finem fortius iret amor.
Fortius iuit amor; tantuſque hic impetus illi
Extitit, vt nunquam fortius ire queat.

Eadem.

PRoximus morti prior ipſe fundis
Sponte, quod fundi cupiunt Hebræi.

Sudor eſt ſanguis, ſine traditore
Traderis ipſe.
Panis ad guſtum, ſpeciemque vini
Vis bibi totus, comedique totus.
Et Sacerdotes operi miniſtros
Ordine ſacras.
Quid magis mirer ſtupeamque, vires
Tanta præſtantis, vel amantis artem?
Hoc nihil maius potes, hoc agenda
Vincit & acta.
Tu ſemel matris gremium ſubiſti;
Nunc fugas panem, quoties vocaris;
Nunc fugas vinum, quoties vocaris
Ore miniſtri.

Mulier cum parit.

PArturiens mulier triſtes oblita dolores,
Ridet, vt in lucem prodijt ortus homo.
Sic me Chriſte iubes duros perferre labores,
Vt lucem in patriæ ſim mihi mater ego.
At grauius ſine te nullum eſt me pondere pondus;
Si te mente geram, me quoque ventre geram.

Chriſto patienti.

QVod Iudæe cupis, quod votis omnibus optas,
Præuertit Chriſti non bene notus amor.

Tradi-

Tradidit accumbens viuo cum ſanguine carnem;
Seque gerens manibus, ſe dedit ipſe cibum.
Vincit amor Chriſti ſummum Iudæe furorem;
Et facit, vt morbo ſit medicina prior.

Eidem.

DIcite, pæonia qui morbum expellitis arte,
Oppoſitum oppoſita non ne leuatur ope?
Ergo qui potuit dolor eſſe medela dolorum?
Curari & vulnus vulnere qui potuit?
An quia morbus erat fuſum à ſerpente venenum,
Et Chriſtus medico nomine Pſyllus erat.
Sugere viuifico mea toxica debuit ore,
Transferre & morſus in ſua membra meos?
Sic igitur potuit dolor eſſe medela dolorum,
Vulneris & vulnus ſic medicina fuit.

Sudanti in horto.

HAec quoque pœna tui fuit olim criminis Adã,
Sudor vt è terra munera veſca daret.
Sed tua qui ſumpſit Chriſtus mala, ſumpſit & illũ;
Nec tamen aſsimilis ſudor vtrique fuit.
Vita tibi ſudor, mors Chriſto; vitreus ille,
Hic viuo cordis flumine ſanguis erat.

Eidem.

Eidem.

HOrtus causa mali, subijt quē callidus anguis;
Quem tu Christe subis, hortus origo boni.
Pœna illic homini pro crimine sudor, & algor;
Hic pauor, hic sudor fit tibi Christe nouus.
Sudat is vt viuat, viuo tibi sanguine currens,
Horrendum, heu, mortis nuntiat ille genus.

In osculum Iudæ.

ASsuetus furto manifesta dat oscula Iudas,
Aptum & lucratur se sibi carnificem.
Heu miser; & Petrus manifesta voce negauit;
O' plus quam Christi proditor ipse tui.

Vt dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, &c.

VOx tua mortales erexit Christe iacentes;
Agmina prosternit vox tua carnificum.
En ego, respondes, Iesus, quem quæritis, adsum;
Vocis & ad sonitum turba supina cadit.
Scilicet hæc Mosem tua vox perterruit olim;
Et tua quod potuit, nunc quoque lingua potest.

Vnus

Vnus miniſtrorum dedit alapam Ieſu.

QVis qualiſque fores, dum quærit perfidus Annas,
Percutit in faciem te ſcelerata manus.
Sic hominem tua Chriſte manus formauit, & ille
Reddidit hæc Plaſtæ munera iuſta ſuo.
Non tulit hoc Paulus, non hoc tulit ante Michæas;
Hæc mala qui ſuffert, vim deitatis habet.

Feria ſexta.

HOrrida lux, noctis mater, non filia lucis,
Plena tenebrarum, tenebris qua cæca poteſtas
Conceſſa in tenebras cœli duo lumina vertit.
In trabe quæ fixum vidit lux horrida ſolem,
Vidit & horrēda pendentem ex arbore vitam;
Quattuor & fontes per vulnera quattuor ortos;
Sanguinis & viuum non viuo è corpore fontem,
Militis oſſifragi cum abiunxit lancea coſtas;
Cum non viuus amans cordis nudauit amorem.
Ergo vt prima dedit lux lucem, ſexta fugatam
Nunc videt; & rurſum tenebræ offunduntur abyſſo,

Et

Et quatitur tellus, & dant elementa fragorem;
Dum Iudæorum Rex duro è stipite Iesus
Clamat, & expirans lux vera immigrat ad vmbras.

Eadem.

D*Aemonis in miseros homines vi rapta potestas*
Tollitur effuso sanguine CHRISTE tuo.
Non igitur vim vi solito tu iure repellis,
Sed vim depellis vim patiendo nouam.

Christo Flagellato.

H*Orret Christe animus, dum spectat, qualia perfers;*
Et tibi cur libitum verbera tanta pati.
Vt sit liber homo, te ferrea flagra cruentant;
Ne pereat seruus, te premit ira Patris.
Non se iactet homo; non hæc tibi verbera miles,
Infligit nimius sed patientis amor.

Eidem.

M*Agna supra dorsum tibi surgit fabrica Christe,*
Dum lacerant artus dira flagella tuos.

Sanguinis hinc primum violenta efferbuit vnda ;
Nec furor edomitus cedit Hebræe tuus .
Cesserat Aegyptus non tot tibi fracta flagellis .
Perge ; satis Christo, cedat vt ira Patris .

Eidem .

SPinas terra dedit diuinam ob numinis iram ,
Vinea sed spinas cur Synagoga dedit ?
Spinis Christe tibi sacrum caput illa coronat ,
Et ficto vt Regi dat diadema nouum .
Impia quid rides ? tua te sententia damnat ;
Spinarum populo Rex erit ille tuo .

Christo purpura induto .

LVdere se dixit Sapientia Patris in orbe ;
Illa modo facta est ludus Hebræe tibi .
Ludis, & illudis, ficta est quod purpura Christi ;
Sceptraque Rex fictus gestat arundinea .
Ride, lude miser; sceptra hæc tibi ferrea fient
Virga, & Rex fictus Rex tibi fractor erit .

Non hunc, sed Barabbam .

ERgo tibi latro præfertur Christe Barabbas ,
Et repetita sonat vox, crucifige, tibi ?
Eheu, quò præceps rapitur mens cæca malorum ?
Quid queror, & miror ? turpius ipse cado .

O' quo-

O' quoties præpono meos tibi Christe latrones ,
Posthabeo sceleri dum tua iussa meo .

Ecce Homo .

CRimina qui mūdi tollit, me antiquior Agnus
Ecce Dei ; vatum summa Coronis ait .
Nunc Pilatus ait mutato nomine turbis ;
Ecce homo; sed nunc vox aptior, Agnus, erat .
Ecce homo, nunc Agnus ; fiet Iudæe quod optas ;
Hic cadet , at fies tu Deicida nouus .

Eidem .

EN cui dat sceptrum calamus , cui purpura risum ,
Sertaque dant gemmas spinea sanguineas .
En Pilatus ait, miseri spectacula Regis ;
Ecce homo ; dignosci si tamen ille potest .
Omnia cum tangas , vnum Pilate relinquis ;
Ecce Dei vestri filius , ecce Deus .

Et crucifixerunt eum.

FRuctus erat ligni, miserū qui perdidit Adam ;
Non sat erat fructum Virginis esse Deum .
Et ligni fructus nunc fit, quo mortuus Adam
Viuat, & antidotum toxica sumpta fuget .

Matre tamen primus pendebat ab arbore fructus,
Fixus tu immenso Christe dolore gemis.

Eidem.

F*Igis amicorum clauis tu viscera Christe,*
Quos timor, & valida cuspide trudit amor.
Ferrea clauorum sed vis tibi perforat artus,
Assatus flammis vt cibus ipse fores.
Agnus eras, perfossus eras; vbi subditus ignis?
Ignis amor fuerat, te tuus vssit amor.

Eidem.

F*Ixa tibi tendis quòd stipite brachia Christe,*
Vltorem ostendis nil modo posse Deum.
Nam Patris æterni cum sis tu dextera, ligno
Dum fixa hæc hæret, quid ferat illa mali?
Nil fert illa mali, solum sed spirat amorem;
Et quicquid fundit, fundere cogit amor.

Christo crucifixo.

Q*Vid tu Christe iubes? crucis ingens tollere pondus;*
Te tua Crux pateris tollat vt ipsa sibi.
Nec tollit, laceros vt iam tibi recreet artus,
Diuulsos artus sed magis vt laceret.

Si

Si te Crux tollit, quis eam ſibi tollere poſſit?
Tollet, ſi impreſſum te ſibi corde gerat.

Eidem.

D*Vm te conſpicio pendentem corpore toto,*
Et te librantem vulnere Chriſte tuo.
Hæc animo voluo; quanti mea crimina conſtant?
Cum ſint illa nihil, cur grauitate necant?
En Deus opprimitur, dum non ſua crimina portat;
Quid mortalis ego, qui mala porto mea?

Eidem.

V*T caperes Adam, quod lex tibi lata negabat,*
Brachia ſunt motu vix tibi iacta leui.
At qui ferre tuo voluit pro crimine pœnas,
Pendula prolixè brachia ſuſtinuit.
Confer, quis pro quo; quid pro quo ſoluat; & infer;
Ergo Deo tantum tantula facta dolent?

Eidem.

S*Exta dies hominem produxit, ſexta redemit;*
Sexta dedit mortem, viuere ſexta dedit.
Motum ſexta tulit, tulit vt poſtrema quietem.
Si nocuit, pariter profuit illa magis.
Sed magis id mirum, vitam quod morte parauit;
Dum facit, vna vt Crux vitaque morſq. foret.

Eidem.

EN Pater omnipotens, tibi viuēs hostia pendet,
Et luit humanæ debita perfidiæ.
Non hic Abramides, non ficta est hostia; pendet
Filius, & nostro corpore nostra luit.
Ipse cadens Agnus, ter maximus ipse Sacerdos;
Ipse sibi victus, victor & ipse sibi.

Diuiserunt sibi vestimenta mea.

CVm tua diuisit sibi vestimenta satelles,
Indiuisa tibi vestis amica fuit.
Et coniunctam animam diuelli à corpore passus,
Indiuisa facis vestis vt vna foret.
Vnus es, vna tibi iuncta est Ecclesia Christe.
Si diuisa foret, iam nihil illa foret.

Et super vestem meam miserunt sortem.

SOrte fuit tellus Abrahæ de semine natis
Diuisa, & vesti sors data Christe tuæ.
Reddidit indignam Synagoga hanc perfida sortem.
Et sors hæc vesti, non tibi Christe venit.
Vt tua nunc habeat te Christe Ecclesia sortem;
Et te sorte carens sit Synagoga nihil.

Et

Et illudebant ei.

AEneus ante tibi ſerpens Iudæe pependit,
Et ſtulta optabas hunc pietate coli.
At cum vera tibi de ligno vita pependit,
Illudis, nec tot te documenta mouent.
Quid iactas Abrahā? è ſaxo is ſibi pignora cernit;
Saxa Deum norunt, quem ſcelerate negas.

Pater ignoſce illis.

QVid petis ignoſci ligno affigentibus Agnum,
Iudicium nato ſi Pater omne dedit?
In te carnificum ſæuit furor impius; illis
Vel dato tu veniam, iuſta vel arma cape.
An tibi non iudex, ſed Patre iubente Sacerdos,
Fœderis æterni conciliator eras.

Deus Deus meus, vt quid.

OBrutus oceano ſummorum Chriſte dolorum,
Heli, Heli, clamas, vnde relictus ego?
Parce Deus ſuffixe; loquar quæ ſentio puluis;
Si Patris Agnus eras, vnde relictus eras?
Sed nunquam ſolus, mala ſolus cuncta tuliſti,
Torcular calcans ſolus vt ipſe fores.

Hodie mecum eris in Paradiſo.

VI rapitur cœlum, furto Paradiſus habetur.
Hæc Crucis, hæc mortis gloria Chriſte tuæ.
Vtque olim furto Paradiſum perdidit Adam,
Sic illum furto latro beatus habet.
Fruſtra te inſeruit ſceleratis Prætor iniquus,
Latrones ſanctos qui tibi Chriſte facis.

Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.

RVmpi ſaxa videt, totum nigreſcere Solem,
Et nullum Virgo deliquium patitur.
Inde dolor ſumus, ſumma hinc conſtantia pugnant.
Hoc ego prodigium fortius eſſe puto.
Ille dolor, vitam potuit qui auellere nato,
Abſumit matrem, nec facit exanimem.

Eidem.

STabat & adſtabat pendenti ex arbore nato,
Stabat quæ nullo tempore lapſa fuit.
Non miror terram non ſtare, & ſtare ſepultos;
Quod mater ſtabat, miror & obſtupeo.
Mortua bis ſtabat, ſibi mortua, mortua nato;
Stabat nuda videns viſcera fixa Cruci.

Mulier

Mulier ecce filius tuus.

EXuit innatum Christus genitricis amorem,
Et dicit; Mulier, filius ecce tuus?
An certe hoc summum est extremi pignus amoris;
Datque illi totum, quod sibi natus habet.
De tot discipulis tantum sibi manserat vnus:
Quod mihi restat, habe tu tibi mater; ait.

Ecce Mater tua.

QVem cui substituis? quæ das solatia matri,
Discipulo & moriens, en tua Mater, ais?
Virgo quidem iuuenis, sitque is pro Virgine Virgo;
Quantula Ioannes pars tua Christe tamen?
Filius at magnæ sit Virginis, vnus vt esset
Filius à Christo Virginis & tonitrus.

Sitio.

QVa tu Christe siti per tot tormenta laboras?
Namque sitis nunquam defuit vna tibi.
Si me Christe sitis, de me fel semper habebis;
Vt tibi mel fiam, quis dabit? ipsa sitis.
Vt fieres mortalis homo, sitis ista coegit;
Vt tibi mel fiam Christe, det ista sitis.

Eidem.

Eidem.

QVod ſitio clamas, fons & largitor aquarũ,
Nec myrrhata tamen pocula Chriſte bibis.
Eſſe ſitim, potu quæ non extinguitur, illam
Innuis, & magnam ſemper ineſſe ſitim.
Nos tu Chriſte ſitis; ſitis hæc te abſtraxit olympo,
Et reducem cœlo te tenet iſta ſitis.

In manus tuas commendo ſpiritum meum.

HAnc animam, libuit quam ponere tempore fixo,
Carum ſumme Parens accipe depoſitum.
Hæc valido fatus clamore nouiſſima Ieſus,
Capturam victor tranſijt ad Stygiam.
Non tã Chriſte tibi mors hæc fuit vltimus horror,
Horror quam morti mors tua ſemper erit.

Et Petræ ſciſſæ ſunt.

SI petra Chriſtus erat; fontem, quæ fudit aquarum;
Et petra, quæ muros nexuit vna duos.
Si fundata ſuper tota eſt Eccleſia petram,
Tota è conſpicuis ſurgit & illa petris.

Scin-

Scinduntur, ſciſſa eſt petra vt primaria, petræ,
Fœdere naturæ conſociante petras.

Et monumenta aperta ſunt.

VIx te abſorbuerat mors pallida Chriſte vocantem,
Et multum euomuit debilitata cibum.
Corpora ſanctorum monumentis reddit apertis;
Et clamat, pereo mors ego morte noua.
Mors noua, quòd moritur viuens viuentis imago;
Mors noua, quod iaculis occido fixa meis.

Et obſcuratus eſt Sol.

SOl ſtetit Hebræi Ducis ad certamina iuſſus,
Iniuſſus tenebras induit illa nouas.
Prælia tunc ſpectans, at nunc ſpectacula vitans;
Et qui res generat, deficit ille ſibi.
Lux de luce, inquit, ſoli lucem indidit; vnde
Si lux prima cadit, fax mihi lucis erit?

Et velum templi ſciſſum eſt.

OMnia cum cedunt legis velamina Chriſto,
Et velum partes ſcinditur in geminas.
Et patuere adytis templi penetralia nudis,
Omnis vt in lucem tranſeat vmbra nouam.

Quid

Quid velum, aut ſcindi miramur limina templi?
Scinditur & cœlum ſanguine Chriſte tuo.

Vnus militum lancea latus eius aperuit.

PRima dedit flando vitæ ſpiracula Plaſtes,
Poſtea flans homini dona ſecunda dedit.
At male gratus homo poſtquã vitæ abſtulit vſum,
Exanimum Chriſti perfodit ille latus.
Bis daret vt mortem, tantoque vt vulnere mater
Sentiret gladij vulnera dupla ſui.

Ibi poſuerunt eum.

MOrs te Chriſte tenet, ſed tu de morte triumphas;
Captiuuſque capis, perdomituſque domas.
Quod genus hoc pugnæ eſt, vt ſit victoria victi?
Quique iacet, palmam, quòd iacet ipſe, ferat?
Sed mors ipſa etiam lucrum proſtrata reportat;
Nunc iucunda venit, quæ prius horror erat.

Sabbato.

NOtat quietem ſi creantis Sabbatum,
Hoc nuncupetur Sabbatorum Sabbatum,
Quòd Creatoris iam quies aduenerit,

Quæ

Quæ nuper orbe condito non venerat,
Erat futurus cum Redemptor conditor.
Sed nulla luxit lux laboriosior
Mæstæ parenti Sabbatorum Sabbato;
Quo terra, Christi iam recepto corpore,
Matris videtur ipsa fungens munere.
O' Virgo Mater matribus beatior,
O' Virgo Mater matribus depressior.
Hæc est acuta, quæ tuum cor perfodit
Rhomphæa; nam quæ filium pupugerat,
Et te pupugit, sed videbas mortuum:
At nulla restant nunc tibi solatia.
Regina quippe tu fores vt Martyrum,
Dolor dolores vincit omnes omnium.

Christo sepulto.

FRigida si calidis iungas, vis feruida vincit,
Robur & absumit frigoris horrificum.
Ignis erat Christus, mors frigus; lucta fit ingens;
Et dubitas, vtri vis erit inferior?
Frigoris absumpta est glacies, vis ignea clamat;
O' mors vita homini, mors ego mortis ero.

Dominica Reſurrectionis.

FRangis obſcuras Erebi cauernas,
Frangis æternæ duo tela mortis,
Non tamen fixum tumulo ſigillum
Corpore frangis.
Soluis antiqui graue ius tyranni,
Soluis antiquo titulo ligatos;
Non tamen fortes abeunte vittas
Corpore ſoluis.
Surgis, & ſurgunt tibi dormientes;
Surgis, & lapſis noua vita ſurgit;
Non tamen mendax Synagoga, veri
Conſcia ſurgit.
Signa naturæ data glorioſæ,
Bina diuerſi data ſigna finis,
Vt ſalus idem ſimul & ruina
Chriſte reſurgas.

In eandem, & Aedem Vrſianam Rauennæ, titulo Anaſtáſiam.

SVrge ſalutiferum nobis Rex inclyte Paſcha,
Surge, & viuificus iam tibi ſomnus eat.
Iam ſatis eſt terræ mandatum nobile ſemen;
Surge ſator vitæ, ſurgat & ipſa ſeges.

Soluere

Soluere mors poterat, sed non dissoluere carnem.
Surge lea natus Virgine, surge leo.
Motibus insolitis terrarum fluctuat orbis.
Surge pius Ionas, surge sepulte salo.
Surge vigor rerum, qui comples æthera totus;
Totus habes tumulum, tartara totus habes.
Vita fugit sine te, sine te Petrus ipse laborat;
Surge petra, & fidei consolidato petram.
Surgit Anastaseos ædes tibi magna Rauennæ.
Pascit Christe tuas hic quoque Petrus oues.
Surge bonus Pastor, pascentem & pascito Petrum;
Adde animos animæ prodigus ipse tuæ.
Sic tibi post Solymos vrbs sit tutanda Rauennæ,
Atque tuo semper crescat amore Petrus.

In eundem.

VIncula qui mortis, qui vincula fregit abyssi,
Morte triumphata symbola mortis habet.
Signa gerit manibus, pedibusque impressa foratis;
Nec piget immeritæ stigmata ferre crucis.
An quæ mortis erant, nunc vulnera sentit amoris;
Et non mortalem vulnerat vnus amor?

In eandem.

SVrgis Christe tui pertæsus claustra sepulchri,
Vt protrita satis mors tibi morte fuit.

Rursus ego in grauius te nunc intrudo sepulchrum,
Dum non pura mei pectoris antra subis.

In eandem.

NVlla tibi species, multo dū Christe maderes
Sanguine; mutatus nam decor omnis erat.
Inde vbi discipulis comitem lux tertia iunxit,
Te sibi adesse vident, nec sibi adesse vident.
Te dolor ignotum, te ignotum gloria fecit,
Fractio te notum panis amica facit.

In eandem.

LVna obiecta nouo soli est subiecta recursu,
Iustitiæ dum Sol iam foret occiduus.
Sol Christus, dum rursus habet post funera vitam,
Ad Lunam cursu vertitur ipse suo.
Inde orta eclipsis; tanta hinc fit mixtio lucis,
Splendeat vt Virgo Solis amicta iubar.

In eandem.

DE Cruce descendat, ridens aiebat Hebræus;
Et credam quod sit vera propago Dei.
En salit è tumulo Christus Pharisæe sepultus;
Tu minus optabas, en tibi maius habe.
Sed tu sponte negas, tua quod custodia vidit;
Sic sine prole Deo es, sic sine patre Deo.

In

In eandem.

TE pater vnigenā eructauit abyſſus abyſſum,
Et Virgo natum te tulit vnigenam.
Primigenam tumulus non fracto marmore cernit
Chriſte triumphato dæmonis imperio.
Vnus es & primus; ſocios non ſumis vt vnus;
Vt primus ſocios nos tibi Chriſte dabis.

In eandem.

PRima reſurgentem caris te amplectitur vlnis,
Quæ deſiderio mortua ſola fuit.
Fœmina te quondam circundedit illa tenellum,
Circundas matrem tu modo Chriſte tuam.
Vtque fuit mirum non exanimaſſe dolorem,
Sic mirum quod non exanimarit amor.

In eandem B. Virgini.

SI tuus ò Virgo exultauit ſpiritus olim,
Ancillam te humilem reſpiciente Deo.
Quæ tibi nunc animo cumulantur gaudia, victor
Cum tibi ſe ſiſtit filius è tumulo?
Dicebas te alijs fore tunc præſaga beatam;
Tunc alijs, nunc es Virgo beata tibi.

In eandem eidem B. Virgini.

FOemineus rapidis properauit gressibus ardor,
Vngeret vt Christi corpus aromatibus.
Nati Virgo fuit non hæc tibi cura sepulti,
Mox amplectendus qui tibi viuus erat:
Sed viuum, & cœlo regnantem semper inungis,
Semper & irati viscera mollificas.

In eandem eidem.

STigmata nulla tulit Christus de Virgine nascens,
E tumulo nascens stigmata quina tulit.
Mortalem illa dedit, non mortalem edidit iste;
Integra parturiens, integer & tumulus.
Scilicet ipsa sibi seruauit vulnera Virgo,
Mortalemque dedit mortis ad interitum.
Quicquid habet tumulus, totum de Virgine prodit,
Vnde illi manat, quoque recurrit honos.

In eandem.

PEruia porta domus, cui venter peruius olim;
Sed ventri, & portæ non datur vnus honor.
Peruia Virginitas ventri, non peruia portæ;
Fœtum ille, obtinuit peruia porta nihil.

Peruius vni vnus venter fuit; omnia sanctis
Peruia, cum melior vita resurget, erunt.
Sic oriens maiora facis, quam Christe resurgens;
Mater vt ostendas peruia quid valeat.

Feria secunda.

IBant duo loquentes
De Nazareno Iesu,
Nec spiritu frigentes,
Nec spiritu calentes,
Increduli fideles.
His tertium se iunxit
Sermocinator gratus,
Ignotus atque notus,
Loquens de Iesu Iesus.
Et veritatis lumen
Dat veritas Magistra,
Interpres abditorum,
Quæ vatibus dictarat.
Et cogitur conuiuis
Conuiua primus esse.
Ergo parentum visus
Apertus esu pomi,
Parentibus delusis
Vim se videndi iniecit.
At fractio nunc panis

Manu beata Christi
Felicibus conuiuis
Vim dat videndi Christum.

Feria Tertia.

DEturbatus homo primorũ ex arce bonorum,
In mala deiectum; sed se persensit eundem.
Restauratorem dona ad potiora bonorum
Se probat, & cogit se agnosci Christus eundem.
Fugit is aspectum, Christus se aspectibus offert.
Palpando is lapsus; palpate, ait, iste resurgens.
Esca illũ rapuit, Christus piscem accipit assum.
Sed labor est Adæ curari, & vulnera tolli;
Tu tua Christe tibi seruas, & vulnera mõstras,
Vt vitæ fontes, æterni vt signa triumphi.

Feria quarta.

NOcte laboranti sine piscis fœnore Petro,
Mane adstãs quærit pisces obsonia Iesus.
Datque Petro pisces, quos offerat ille magistro;
Et simul appositos prunis in littore pisces.
Et Petrus accurrit sumpta sibi veste per vndas;
Et stupor est, cumulo non scindi retia prædæ.
Sed stupor is maior, pastorem velle creandum

Piſcibus è limo pelagi ſudare trahendis.
Has quod oues Chriſtus ſibi ſumit ab æquore
ſecli,
Quas Petrus, Petrique fides extraxerit vndis.

Feria quinta.

VNguenta tu paraueras,
Et lachrymarum copiam.
Vnguenta Ieſus deſpicit,
Sed lachrymas non deſpicit.
Iam Magdalena videras,
Iam viſa nuntiaueras.
Quid quæris id, quod videras,
Et non adeſſe dixeras?
Ieſum putabas mortuum
Iacere ſub cuſtodia;
Non cogitas cuſtodiam,
Non cogitas vim ſaxeam.
Quod vrit, vnum cogitas;
Quod torquet, vnum cogitas;
Videre Ieſum cogitas,
Tenere Ieſum cogitas.
Amoris ò vim maximam,
Quæ tollit vſum luminum;
Quod impetu vult maximo,
Præſente neſcit perfrui.

De fure Iesum quæritat,
Iesumque Iesum flagitat.
Sed vox vt alma personat,
Ad visa currit gaudia.
O' ter beata fœmina,
Quo viuis vltra spiritu,
Dum cordis ignem conspicis,
Amore nec dissolueris?

Feria sexta.

QVo non omnis erat tibi tempore Christe potestas,
Si ponendi animam fuerat tibi plena potestas?
Et quæ nunc cœlo terraque accepta potestas?
An quæ parta crucis merito, qua subditus orbis,
Vnaque sunt omnes possessio tradita gentes.
Sed nihil acquiris, parta vt per præmia crescas.
Vna salus hominũ parta est tibi gloria Christe.
Nostra salus, quod sis super omnia nomina Iesus,
Curuenturque tibi toto cum corpore mentes.
Nostra salus, quod iam deuicta morte triũphas,
Confessorque Patri patriam sis murus ad iram.
Nostra salus, Baptisma tuo quod nomine detur,
Atque tuo nobis de sanguine balnea fiant.
Hæc si Christe tibi est omnis concessa potestas,

Non

Non tibi, sed nobis concessa est tanta potestas,
Qui fore nobiscum te totum dicis in æuum.

Sabbato.

AD mortem coniux induxerat Eua maritum,
Aduocat ad vitam fœmina discipulos.
Currit, & vt currant torpentes excitat illos;
Et vitæ è tumulo nuntia prima venit.
Et scelus admisit primum illic fœmina furtum,
Hæc furto ablatum conqueritur Dominum.
Hoc vnguenta dare est, sed non tibi Christe sepulto,
Verum vt fœmineus restituatur honos.

Dominica in Albis.

QVis neget Thomæ veniam? quis illum
Dicat in Christo male curiosum,
Si videt nusquam foribus reclusis
Tendere Iesum?
Permeans fixis subit ille portis,
Vt leo magnæ catulus leænæ,
Qui leui somno salit excitatus
Omnia lustrans.
Vulnerum monstrat patulos hiatus;
Aduocat Thomam pius increpator;
Impigro Thomas Dominum Deumque
Corde fatetur.

Peruius venter Mariæ volenti;
Peruij postes, tumulus volenti;
Ni velit Christum, minus est voluntas
Peruia Christo.

Venit Iesus ianuis clausis.

SEpta resurgenti non sunt imperuia Christo,
Saxea nec motum limina clausa negant.
Vna est, dum renuit, res Christo imperuia, nostrum
Cor, quò vt perueniat, pulsat & ille fores.
Ergo resurgenti cedunt dura omnia Christo,
Et mea durities hoc tibi Christe negat.

Pax vobis.

CRimina murus erant nulli penetrabilis olim.
Hinc Deus irascens, hinc homo lapsus erat.
Extrema hæc Christus communi fœdere iunxit,
Et murus tacita peruius arte fuit.
Quid mirare, domum clausis quod postibus intret?
Pax foret vt nobis, peruius est paries.

Eidem.

PAx vobis; hac Christe tuos nouitate salutas;
Contra fas esset dicere, Bella tibi.
Tu pacem, nos bella tibi dedimusque damusque;
Nos litem, tu dàs semper amicitiam.

Non duo ſunt rerũ hæc primordia, ſola ſed eſt pax;
Lites ergo hominum diſijce pace tua.

Ego ſum Paſtor ouium.

PAſcit oues paſtor, ſed lac depaſcitur ipſe;
Tu vel Chriſte tuo ſanguine paſcis oues.
Paſcit oues Paſtor, ſed lanam colligit ipſe;
Nudas Chriſte tuas tu tegis intus oues;
Paſcit oues, ſed paſtor ouem non induit ipſe;
Tu tibi ſumis ouem, dum tibi quæris oues.

Palpate, & videte, quia Spiritus &c.

SVppoſito Iſaacus dum vult benedicere nato,
Palpare vt potuit, cernere non potuit.
Ergo diſcipulis Chriſtus, palpate, videte;
Ne credatis, ait, me quoque ſuppoſitum.
Quis te Chriſte putet falli, vel fallere poſſe?
Nec ſimulatus homo, nec Deus eſſe potes.

Ego ſum via, veritas, & vita.

SI via, ſi vita es, ſi vis Chriſte intima veri;
Duc ad te, vitam ſuffice, vera doce.
Falſa docet mundus, dat mortem, ducit ad orcum;
Tunc dator, & doctor, tunc mihi ductor eris.

Ego ſum Paſtor bonus.

QVàm bonus Iſacidis Deus eſt, lyra ſacra canebat.
At nobis Paſtor maluit eſſe bonus.
Mulget oues Paſtor, tu Chriſte & ſanguine nutris;
Tu ſis eſca tuis, paſcitur ille ſuis.
Omnis cedat amor, nihil eſt quod carmina fingũt;
Plus tu Chriſte facis, quam ſibi fingat amor.

Ego ſum oſtium.

TV Rex, tu Regnũ, tu regni es ianua Chriſte;
A quo, per quem, ad quem ſontibus ire datur.
Mille patent foribus plutonia regna; beatis
Porta, ſed innumeris callibus vna patet.
Sic ἄλφα *es rerum, ſic es Chriſte* ὠμέγα *rerum;*
Te vis eſſe θύραν, *te quoque* θῆτα *voco.*

Dominica quinta poſt Paſcha.

OMnia promittis precibus te Chriſte daturũ;
Conceſſa at precibus, carius empta vocant.
Nec quæſitus eras, vt tu de ſedibus altis
Humani formam corporis indueres.
Quid petis ergo preces, qui te met ſponte dediſti?
Emptaque cur precibus vis tua dona dari?

Ah,

Ah, dat amor leges; is te detraxit olympo,
Et precibus cogi te iubet vnus amor.


Ferijs Rogationum.

VIcisti moriens mortem cum Principe mortis,
Vicisti fractis tartara carceribus.
Vicisti offensum culparum mole parentem,
Vicisti meritis crimina nostra tuis.
Omnia qui vincis, vinci vis Christe rogatus;
Te victo vt vincens cuncta triumphet homo.

Ijsdem.

ESse paracletum scimus te Christe priorem,
Vnde Paracletus Spiritus egreditur.
Tantaque vis voci est Paracleti, vt vtrumque vocatum,
Cum mala nos turbant, exprimat esse Deum;
Tu paracletus homo, Paracletus cordibus ille;
Quos vocat auxilio, cum dolet omnis homo.

APRILIS.



S. Mariæ Aegyptiacæ.

NOn patitur Virgo Mariæ ſordeſcere nomen,
Sed Veneri extorquet vis Mariæ Marias.
Teſtis ego felix, Aegyptia fœmina clamat;
Quæ vi fracta vadem te mihi Virgo dedi.
Si venit ad Chriſtum nemo, quin ille trahatur;
Pertrahit ipſe ſuos, pertrahit ipſa ſuas.

S. Franciſco de Paula.

ESſe tibi fratres minimos te Chriſte magiſtro
Scimus; qui pro te, quod tibi fertur, habent.
Franciſcus Minimos titulo dat diſpare fratres;
Qui ſe, non aliud; dant tibi, non aliꝭs.
Sed qui ſe votis deuinxit quattuor, ille
Eſſe tibi debet maximus, & minimus.

S. Leoni Magno Papæ.

SIcut oues miſſi ſæua inter bella luporum
Diſcipuli; Leo tu vis tamen eſſe lupis.
Ergo vbi te vidit, iam non fuit Attila Maſtix,
Sed lupus extimuit te rugiente leo.

Vidit

Vidit is & fugit; non visum tota luporum,
Quæ lacerat Christũ, nunc quoque turba fugit.

Eidem.

Mille canes habuit caulæ custodia sanctæ;
Latrando nullos qui timuere lupos.
Sed cum mille gregem turbarent monstra, Leonem
Grex habuit, pauidas qui reuocaret oues.
Nunc etiam fugiunt viuum te monstra leonem,
Dum rugiunt calami grandia scripta tui.

Eidem.

Attila dum fureret rugientis more leonis,
Obuius alter ei fit grauitate Leo.
Pugnant, ille ira, hic verbis atque ense, leones;
Victus abit, victor qui fuit ante leo.
Non sat erat vicisse lupos; vicisse leones,
Gloria Romani magna Leonis erit.

Eidem.

Quæ duo Christus habet, mala mens conflabat in vnum;
Tu duo quæ duo sunt, cogis habenda Leo.
Et laceras φύσεως lacerantes nomine Christum;
Et duo qui seruas tu Leo, non laceras.

S. Iuſtino philoſopho & mart.

BIbit cicutam Socrates,
Sator nouorum numinum;
Et fama ficti nominis
Ad aſtra tollit Socratem.
Bibit ſalutis poculum
Sector nouorum numinum
Iuſtinus, & iuſtiſſima
Cœli meretur præmia.
Dicatur ergo Socrates
Mortalium ſtultiſſimus,
Iuſtinus apto nomine
Athleta prudentiſſimus.

S. Georgio Mart.

PVgnauit Michael, victumque ſub ima Draconem
Tartara cum lapſis depulit agminibus.
Tu quoque pugnaſti, ſtratoque dracone Georgi
Vincis, & infixa cuſpide monſtra necas.
Hac opus eſt Chriſti populis virtute Georgi;
Monſtra ruunt; hæc tu comprime, funde, neca.

Eidem.

ESse iubet fortes antiqui ad bella Draconis;
Aeternum & regnum se dare Christus ait.
Non vnum fama est tecum pugnasse Draconem;
Antiquus serpens hinc fuit, inde nouus.
Et debellato serpente vtroque Georgi,
Bis regni æterni præmia victor habes.

S. Marco Euangelistæ.

VT leo Marce olim Romæ abdita monstra fugasti,
Dum scribis magno quæ Petrus ore docet.
Vt leo mox rugiens Aegyptia monstra fugasti;
Vt leo nunc Venetus monstra marina fugas.
Quid leo Marce facis? si Thracia monstra fugabis,
Omnia tunc fuerint monstra fugata tibi.

Eidem.

INtonuit Romana fides audita per orbem,
Romano scribis dum Leo Marce fidem.
Dumque rugis, fugiunt rugientem bruta Leonem,
Quæ lacerant rostro, dentibus, vngue fidem.
Te pariter fugiat rugientem Marce Leonem,
Vt leo qui rugiens quam voret, optat ouem.

Eidem.

Eidem.

ATtica scriptor Latia ve musa
Marcus æternam decorarit Vrbem,
Si petas; Graius simul & Latinus
Scriptor habendus.
Siue tu Petrum memores Magistrum,
Pastor amborum Petrus & magister.
Ergo Romanis, Danaisque Marcus
Scriptor habendus.
Siue tu Marcum videas Leonem;
Horrida syluas leo voce complet.
Ergo Romanis, pharijsque Marcus
Scriptor habendus.

Eidem.

CVm leo sis, non vngue rapis, non gutture mactas
Marce, sed est agno mitius ingenium.
Cum leo sis, traheris gratissima victima Christo.
Vnum est, quod proprium Marce leonis habes.
Verba rapis Petri; nam cum fugitiua volarent,
Viribus hæc magnis ipse notanda capis.

S. Mar-

S.Marcellino PP. & mart.

TErrifico impulsu sis Marcelline Tyranno
Thurificus; terror te nouus hinc retrahit.
Thure Deum placas, tu thus, atque hostia factus.
Tot mala terror habet, tot bona terror habet.

Eidem.

THure negat Christum Petri hæres, voce negarat
Ille; sed amborum fictio crimen erat.
Christus cordi inerat, solo fuit ore negatus;
Et sine corde sonos mortua lingua dedit.
Si de corde doces exire mala omnia Christe;
Qui non corde cadit, vix malus ille cadit.

S.Vitali Martyri.

QVi tibi, qui medico, gnatisque, vterumque gerenti
Vxori suades vulnera, vincla, necem.
Cur tibi Vitalis nomen? quia nobile granum;
Nam sic multiplici fœnore vita redit.

Eidem.

QVam dabat, expauit medicus ſibi perdere vitam;
Et ſtudio vitæ cœperat ille mori.
Exclamat miles; totus ſibi redditur æger.
Atque ita Vitalis fit medico medicus.
Sic medico miles, medicus fit milite martyr,
Et pariter fiunt Martyres, & medici.

Eidem.

MErgitur in foueam Vitalis, tuque Sacerdos
In flumen te das impie præcipitem.
Et cum pluris aquæ ſint, quam bona muſta Rauennæ,
Non vtrique tamen mors precioſa fuit.
Flamma ille ardebat, quæ nõ extinguit amantem;
Iam flamma ardebas tu quoque tartarea.
Ergo is inextinctus, tu flamma extinctus et vnda;
Et precioſa illi, mors tibi fœda fuit.

Eidem.

RAmos non ſanctos radix ſancta egit Hebræos;
Omnia Vitalis ſancta fuere tibi.

Cor-

Coniuge cum ſancta radix tu ſancta fuiſti;
Proles nata, & ventris ſarcina ſancta fuit.
Nec tibi ſunt tantum ſancti de coniuge rami,
Et medicum vocis munere ſanctificas.
Radici radix ſi componenda videtur,
Sanctior eſt radix omnia ſancta ferens.

Eidem.

DVm ruis in flumen, clamas impure Sacerdos;
Vrit Vitalis me tua flamma nimis.
Quæ flamma hęc, ſi foſſam illũ demergis in altam?
Si flamma vnda tibi eſt, ignis vt ignis erit?
Heu miſer, ille tuis facibus cœlo additus ignis,
Factus flamma ſibi, fit qũoque flamma tibi.

S. Petro Mart.

NVſquam tuta fides fuerat; dum Petre tueris
Hanc tu, vita tibi non bene tuta fuit.
Ergo fides vt tuta foret, tu pectore toto
Incumbis, ſancto tutior officio.
Donec tuta fides, donec tota hæreſis acta,
Et mors tuta tibi tota Corona fuit.

Eidem.

QVem zelus egit maximus,
Vnam timebat fœminam.

Et funeri se subtrahens,
Pseudoprophetas sustulit.
Fide tuenda strenuus
Petri Petrus non abdidit
Se, sed malignas hæreses
Et prauitates sustulit.
Vterque zelo feruidus;
Is fugit, hic se tradidit.
Et zelus illum vindicem,
Sed hunc coronat martyrem.

MAIVS.



S. Philippo Apostolo.

A Te Gentilis quod quærit, quæris & ipse
A Christo, sed non sorte Philippe pari.
Inspicere optabat, quod non Gentilis habebat;
Tu quæris quod habes; quod petis, hoc frueris.
Iam si plenus eras, nec te plenum esse putabas;
Quam plenus, cum te visio plena beat?

S. Iacobo Apoſtolo.

PRimus Apoſtolica Solymorum ſede ſacerdos,
A primo poſitus præſule præſul eras.
Te Petrus ornauit, titulis potioribus amplum,
Qui frater Domini, ter quoque ſanctus eras.
Ex vtero ſanctum, ſanctum cognatio Chriſti,
Quem decorat ſanctum denique martyrium.

Ijſdem.

ALter eſt ligno crucifixus alto,
Alter eſt ligno feriente fractus,
Martyres, Chriſti ſocij, Philippus
Atque Iacobus.
Frater hic Chriſti, tituloque iuſtus,
Sancta ſanctorum penetrans Sacerdos,
Carnibus, vino, ſicera, lauacro
Nec ſemel vſus.
At. Redemptori ſatis ille carus
Quærit vt ſummum videat parentem;
Quærit ex illo populis emenda
Pabula Chriſtus.
Quis datas illis numeret coronas?
Frater eſt illis, & amicus ille,
Sponte qui donat, meritiſque reddit
Maxima magnis.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΜΕΓΑΝ ΑΘΑΝΑΣΙΟΝ.

Ὁππότε παρ νεφέεσσι χελιδόνες ἀμφιποτῶνται,
Ἤλυθεν ἦρ, βοάασ', ἤλυθεν, ἀρχόμεθα.
Καὶ ψυχροῦ βορέαο λελασμένοι, ἄνθεσιν ὥρης
Τέρπομεν εὐκρήτου ὄμματα καὶ κραδίην.
Ὁππότε δ' αὖτις ἔτους Ἀθανάσιος ἤλυθεν ὥρη,
Καὶ φοῖβος θέρμην αὖθις ἔνεικε νέην.
Ἄρχεο μοῦσα φίλη τερετίζειν, ἄρχευ ἀείδειν.
Εἰ δ' ὀλίγοις κιθάρης κρούμασι, τοῦτο φίλον.
Πολλὰ βοῶν τέττιξ μονοήμερον ὕμνον ἀείδει,
Πολλάκι δ' ὑμνοπόλων κρούεται ἡ κιθάρη.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Κεῖται Ἀθανάσιος σμικρῷ ὑπὸ σήματι τῷδε,
Πάντα μὲν ἀθάνατος, τοῦτο δὲ θνητὸν ἔχων.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Τίς, τίνος ἐστὶ ὁ τάφος; φαρίοιο ξεῖνε παλαιστοῦ.
Ἀντίβιος τίς ἔην; κόσμος, ἄναξ, ἱερεῖς.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Εἰ πατρίδα ζητεῖς; ἄπατρις νέκυς. οἶκον; ἄοικος.
Εἰ σοφίην; σολομών. εἰ κλέος; ἀθάνατος.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Αἰγυπτίης χώρης ὀβελοὺς φέρε κάλλεα Ῥώμη,
Δυσσεβίης τ' ὀβελὸν μάρψεν Ἀθανάσιον.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Εἰ ποτ' ἄκουσας Ἄτλαντα μέγαν φερέοικον ὀλύμπου,
Γνῶθι τὸν ἐν τύμβῳ ὦ ξένε κρυπτόμενον.

ΕΙΣ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

ΤΟΥ μεγάλου μέγας εἰμὶ τάφος ξένε, ἔγγραφε τύμβῳ
Ἠγαθέους ἀτρεκεῖς δωδεκαγωνιάθλοις.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

ΦΑσγανον εἰ ζητεῖς, οὔτοι ξένε μάρτυρα κεύθω.
Εἰ δὲ παθῶν σημεῖος, τρὶς ξένε μάρτυρ᾽ ἔχω.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

ΠΑῖς ἔτ᾽ ἐὼν ποτ᾽ ἔπαιζες εὔθρονος ὡς ἱεράρχης,
Καὶ Θεὸς οὐ παίζων ψῆφον ὅλην ἐδίδου.
Παῖδα γὰρ ἐν παισὶν τὸν, οἵποτε ποιμένες ἦσαν
Ἀτρεκέες, παίζονθ᾽ εὕρατο πιστότερον.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

ΙΣΤατ᾽ Ἀλεξάνδρου μεγαλήτορος, ἠΰτε νύμφη
Ὡραίος, ἐς Χριστοῦ πλησομένη θαλάμους,
Ψυχὴ παμφανόωσα, θεημάχον ἥ ποτ᾽ ἄρειον
Ἔνδικα τῆς κοινῆς νόσφισε συντυχίης.
Ἵστατο, καὶ σκοπίαζε πατὴρ διζήμενος ἄλλον
Ποιμένα, ὃς ψυχὴν θήσεθ᾽ ὑπὲρ προβάτων.
Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν· ἐμοὶ νέον ἕσπεται εὖχος.
Πάντων δ᾽ εὐχομένων ἐλπὶς ὄνειρος ἔην.
Ἐλπὶς ὄνειρος ἔην, ἠέφαντος φάσμα πυλάων,
Παίζων καὶ πινυτὰς νηπιάχων κραδίας.
Ἐρχόμενος δ᾽ ὁ γέρων τρομερὴν ἀνενείκατο φωνήν·
Ποῖ φεύγεις τὺ μοῦ γήραος εὐτεκνίη;

Ποῖ φθόγγος ἀπεών Ἀθανάσιε; ὅπη φθέγξῃ
Πάμπαν, ποιμενικὴν ῥάβδον ἀναινόμενος.
Εἵλετο Χειστὸς ἄνωθε, σὲ δ' εἵλετο τέθμια πάτρης.
Ὦ τέκος, οὐρανίοις νεύμασι μὴ πολέμει. (δὴ,
Πνεύματος ἀλλὰ μάχαιραν ὑπόσπασον, ἔνθεον αὐ-
Τῆς πότε νικαέων μιμώμενος συνόδου.
Πλῆξον ἄρδον, ἄρδον ἀναιδία, ἠλιτόμυθον,
Οὐκ ἐμὸν, ἀλλ' ὀφίων θρέμμα κακοσπορίης.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Κωνσταντῖνε μάκαρ, μοιρηγενὲς, ὀλβιοκαῖσαρ,
Αἰετὸν ἀστεροφαῆ σαυρῷ ἀμφιψάμενος.
Σιτοδότην λογίων Ἀθανάσιον οὐρανιήων
Ἤλασας εἰς Κελτῶν ἀβροτέχνων λιμένας.
Μούνοις ψευδολόγοις κακομάρτυσιν οὐαθ' ὑποσχών.
Ζῆλος ἴδῃ, γνῶσιν δ' ἔκλαπεν ὁ προδότης.
Συγγνώμη βασιλῆϊ θεόφρονι. οὔατα γάρ μιν,
Καὶ πτωχοσοφίην νόσφισεν ἀτρεκίης.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Χειραφάπης σε ταμεῖν Ἀθανάσιε Ἀρσενίοιο,
Τὸν κτάνες ἀρρήτου εἵνεκεν ἐργασίης.
Ψευδὴς ταῦτα φάπις, τὴν δαίμονος ἔσπαρε μύσης,
Οὔνομ' ἔχων ψευδὴς καὶ βίον Εὐσέβιος.
Μῦθον ἐγὼ λέξω πανετήτυμον· οὔποτε χεῖρα,
Ἀλλὰ τάμεις γλῶσσαν ἴσχεϊ θεομάχον.

ΕΙΣ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Αἰὲν ἀναιδείης κειμήλια φῦλα γυναικῶν,
Καὶ κακίης μούνη ῥίζα παλαιγενέος.
Οὐδὲ σὺ παρθενίης τηλαυγέσιν ἤλιε λάμπων
Κάλλεσι, θηλυτέρων ἔκφυγες οὐλομένην
Ἀνδράσι μαχλοσύνην. ὄφιος δ᾽ ὑπεδύσατο μορφὴν
Εὐσέβιος, συγγενὴς δυσσεβίης θεόμαχος.
Ἡνίκα που λύσαντα σὲ μαχλάδος ἄμμα κορείας
Πλάσατο, καὶ ψευδῆ ψῆφον ἔχειν ἐπόθει.
Αὐτὸς δ᾽ οὐ λαλέων ἀπεσείσαο ἄξια σιγῆς,
Σχήματι Τιμοθέου καρπὸς Ἀθανάσιος.
Τί πρήξεις λαλέων πάτερ ἄμβροτε, καὶ δίχα μύθων
Νικήσας; ἀρετῇ σύντροφος ἐστὶ δίκη.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Πάντα φύγεις δολερῶς, στάσιες, χεὶρ, ψεύδεα, μῦθοι.
Εἰ δύνασαι δ᾽ ἄρ ἐμὴν φεῦγε κατηγορίην,
Οὐρσάκιος τυρίοισιν ἀμετρεπὴς ἐκολώα.
Συῤῥίψας κύμβλην μύσιν Ἀθανάσιε,
Τολμήσας τὰ μέγιστα. Θεὸν δ᾽ ἐπιμάρτυρα κλεῖσε,
Οἷον ἀναιδείης ξύμφορα τῆς σφετέρης.
Παύεο ἀκριτόμυθε, πολυπλόκε, μηχανοπλέκτα,
Αἰδεσθεὶς πολιὴν, καὶ βίον ἀκέρατον.
Οὐκ ἐδάη τρίβειν δέπας ἱερὸν, ὅς ποτ᾽ ἀρείου
Τρίψε μένος ἀθηναροῦ δόγματος δυσσεβίῃ.

ΕΙΣ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Μαίνεται ἀφρονέων Κωνστάντιος, ὅτε διδάχθη
Ἄλλο σκῆπτρον ὅλως, ἄλλο δὲ πλῆκτρον ἔμεν
Πνεύματος ὑψιλόγου κιθάρης, τὴν πῆξατο σάρκα
Ἑσσαμένη σφρηγὶς πατρὸς ἀναρχοτάτου.
Πρῶτος ἀγὼν βρίθει Ἀθανάσιον. ὦ πολύαθλε,
Ψάλλε μὲν, ἀλλ' ἔμπης σώζεο κρυπτόμενος.
Ῥώμην δ' εἰσαφίκοιο, Ἰούλιον ἀρχιερῆα
Ὀψόμενος, λοιπούς τ' εὐσεβίης προμάχους.
Σοῖο λόγων ἀρετῆς τ' ἐπιΐστορας· ἔνθα τε δήεις
Κώνσταντ' αὐσονίης κράντορα, πιστότερον
Οἷο κασιγνήτοιο, λόγων πολύσημα διδάξων
Ῥήματα, μοῦνος ἐὼν γραικολατινόσοφος.
Οὐσίην δ' ἐδάθευ καὶ ὑπόστασιν, ἐν δ' ἄρα μούνην
Οὐσίην τρισσαῖς δεῖξον ὑποστάσεσιν.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ. (σκοις

Στικτοὺς συμβολικοῖσι χαράγμασιν εἶχ' ὀβελί-
Ἐκ φαεινῆς Ῥώμη κόσμον ἀνακτορείης.
Ποιμάντωρ φαεινῆς Ἀθανάσιος ἔγραφε Ῥώμῃ
Εὐξινέτον σοφίην γλύμμασιν ἱεροτέροις.
Σύμβολον ἀστυφέλικτον, ἐν ᾧ τριὰς ἀμφιχαράχθη,
Φῶς γέννημα φάους, φῶς τρίτον ἐκ φαέων.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Σκῆπτρα φέρει παλάμῃσιν Ἰουλιανὸς θεομίσης,
Ὠμηστὴς, Χριστὸν ψευσάμενος χλαμύδι.

Σκύλ-

Σκύλλης αὐτοφύτευμα, κακῆς κακὸν ᾠὸν ἐχίδνης.
Οὐχ ὁράας νεφέλην ὣς ἀπολυομένην;
Φεῦγε πάτερ, δαίμων σ' ἐλάᾳ βασιλῆος ἀλάστωρ.
Τῆς μεγάλης Χριστοῦ μνώεο παρφασίης.
Φεῦγ' ἑτέρωσ' ἑτέρωθεν. ἐπὴν δ' αὖ χείματος ὥρην
Δέξηται γλυκεροῦ εἴαρος εὐφροσύνη.
Ἠΰτε αὐτολίνηθεν ἐφάλμενον ἥλιον ἄλλον
Ὀψόμεθ' ἀκτίνων φέγγεϊ λαμπροτέρῳ.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

ΝΕΙλῴοις ῥεέθροισιν ἐπέπλεεν Ἀθανάσιος,
Ἔσσετο δ' αὖ λυσσῶν δῆμος ἐξοπίσω,
Τὴν μεγάλην ποθέων κεφαλὴν, τῆς χρύσεα ῥεῖθρα,
Αὐδή τ' ἐκ στομάτων ἔρρεε νεκταρέη.
Ἀλλ' οὐκ ἐκλάσθη κῆρ ἔνδοθι Ἀθανασίου,
Ἂψ ἀπονοστήσας δ' ἔπλεεν εἰς Φαρίην.
Καιρῷ δ' αἰτιόωντα σοφίσματι ἤπαφεν ἄνδρα·
Οὐ σέο νῦν εἶδον τηλοῦ Ἀθανάσιον.
Ἦν ἄρ Ὀδυσσῆος πολὺ φέρτερος ἔμφρονι θυμῷ,
Ψεύδεα μὴ βάζων, ψευδόμενος κακίην.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Ωι Χριστῷ Ἀθανάσιος, ἐφέσπετο δ' ἔνποτε θώκῳ
Γρηγόριος, φαύλως γρηγορέοντι νόῳ.
Ποιμνία τοῖον ἕλοντο λύκοι νέον. ἥπτετο δ' ἄφρων
Τῆς μεγάλης ποίμνης δηθὰ τύραννος ἔμεν.
Φάρμακον ἀλλὰ βίη κακὸν εὕρατο. ὡς γὰρ ὁ βώτης
Οὐκ ἔτ' ἔην βώτης, οὔλιος ἀλλὰ λύκος.

Δὴ τότε πῶϋ λύκοιο φυλὴν μάθε, καί γε κατέκτα
Τὴν φαλέα· ὦ κακίης αὐτοφόνοιο πόρον.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Αἰγύπτοιο φέριστε πάτερ, μέγα φέρτατε ποιμὴν
Ὤχεο, καὶ ποίμνην αἰνοβόροισι λίπες
Α, μούνοις προβάτων ὑπὸ δέρμασι· σεῦ δ' ἄρα Κῆτοὶ
Ἐξέπιον γλυκεροῦ οὔθατος ἀφθονίην.
Ἀλλὰ πόλις στενάχουσα κακοκρισίην βασιλῆος
Μέμφεται εἰρήνης χήματι τῆς μεγάλης.
Μέμφεται οἱ οβίων Ἀντώνιος ἔνθεος ἀνὴρ,
Τῶν μεγάλων ὁ μέγας τῶ μεγάλου καμάτων,
Καὶ φιλίης μνήμων ἐν ἐρημαίαισιν ἀρούραις.
Ἔρχεο, μὴ τάρβει, τὸν Λόγον αὐτὸν ἔχων.
Κωνσταντῖνος ἄναξ σε καλέσατο. εἰ δ' ἄρ' ἀπιστεῖς,
Ἄλλον ἄνακτα νέον τῶ πρὶν ἀρωγὸν ἔχεις.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Μάρτυς ἐὼν μεγάθυμος, ἀπόστολος ἐξεφαάνθης,
Καίσαρος δυσσεβίῃ ἀντιχαριζόμενος.
Καίσαρος ὅπλοτέροιο θυόφρονος· ἡνίκα λαὸν
Περσίδος ἐκ γαίης σῶσεν ἀπολλύμενον.
Πίστιες ὀρθοτάτοις κανόνας, θεοσύμβολα γράψας,
Πνεῦμα, Λόγον τε Πατρὶ ξύμφυτον ἐξισόων.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Εἶχε μὲν ἄχρι πάρος δαιδάλματι μυελομόρφοις
Αἴγυπτος σοφίης σύμβολα κρυπτάδίης.

Εἰ ποθέεις ὥ'περ μεγαθύμου σύμβολον ἀνδρὸς,
Ἔγγραφε μορφώσας μοῦνον Ἀθανάσιον.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Κούρης ἐν μεγάροισι λάθεις μετ' ἀέλιον ὄρφναν,
Καὶ φάος ὢν κρύψας λύχνον ὑπαὶ μόδιον.
Ἠ βαρύπνευν ἐκδρὰς ῥοῖζον βορέαο τυράννε;
Εὖγε πάτερ, Χριστοῦ μύστα παραιφασίης.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Γαίης ἐν λαγόνεσσι φυγόπτολις Ἀθανάσιος,
Οὐ νέκυς, ἐ ζώων εἶχεν ἀμικτα μόνος.
Πενταέτες σιγῶν μὴ δ' ἥλιον ὄμμασι λεύσσων,
Ἥλιον ἀγνυμένης ἔφερσε πειλω κραδίης.
Σίγα Πυθαγόρα κενεώνυμα θαύματα σιγῆς.
Κήρυξιν σιγὴ χεῖρον ἔφυ θανάτου.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Παντλήμων αἴγυπτος ἔφυ, καὐτὸς κερκεδάλοις
Νεῖλος ἔχει, χρυσὸν δ' οὔτι δίδωσι μόνον.
Ἐξ ἐμέθεν τὶς ὄρουσεν ἄρειος, ἀρήϊον αἷμα,
Πλῆσε δὲ γαῖαν ὅλην ἄρεος οὐλομένη.
Καὶ γενόμην κόσμῳ κακὸν οὔνομα, ἐ φάτις αἰνὴ,
Δύσφρεος, οὔτι Θεοῖς, ἐ μερόπεσσι φίλη.
Μαιονίδης δ' ἐπ' ἐμοὶ καλὰ μυθήσατο μέζω.
Δυσφήμου τὸ δ' ἔχω μοῦνον ἄκος κακίης·
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,
Αὐχῶ ἐκφῦσαι πᾶσιν Ἀθανάσιον.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Ὦ Φαεινὴ μεγάλαυχε, σὲ μὲν φαείνῳ Πτολεμαῖος
Ἀστέρι ποντοπόροις τεῦξε φαεινοτέρην.
Αἰγύπτου δ' ἐθνῶν Χριστὸς σκοτόεσσαν ὁμίχλην
Πᾶσαν ἀποσκεδάσαι, δῶκεν Ἀθανάσιον.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Χαῖρε πάτερ μεγάθυμε, μεγακλεὲς, ὀλβιόδαιμον
Ἐξ ὀλίγων ὀλίγην δ' ἔγχυσον εὐεπίην.
Ἄμβροτε, ἀγγελόμορφε, ἀρειόδαμα, ἀρίγνωτε,
Αἰολόμορφε, ἄναξ, ἄεθλε, ἀθάνατε.
Βαθύνοε, βρεμέτα, βασιλεύτατε, βασκανοφόντα,
Βωμολέτα, βώτορ, βούλιε, βλαψίκακε.
Γραικοπάτορ, γραικοτρόφε, γραικοπεριτοπαξάρχα,
Γραικονέων γλυέτα, γραικοδόμοιο γέρας.
Δημοκλεὲς, δῶτορ, διδαχόστομε, δευτερόπαυλε,
Δῖε, δρακοντολέτα, δεξιὲ, δαμναπάτα.
Εὔθροε, εὐρυβόα, εὐήκοε, ἐμπυρόμυθε,
Εὔδιε, εὐδαίμων, εὐρεσιχρηστολόγε.
Ζιζανιοφθορόμυθε, ζωγροαληπτοδίωκτε,
Ζαφλεγοζάθεε, ζηλοπατρῳοφύλαξ.
Ἤπιε, ἠλιόθερμε, ἠύθροε, ἠλιοειδὴς,
Ἥρως, ἠεριγενὴς, ἥμερε, ἡδυόε.
Θούρε, θυμολέον, θηξίφρον, θηγεσίμυθε,
Θέσκελε, θεσμογέρον, θέσφατε, θεοκοπάτωρ.
Ἱερὲ, ἱμερόεις, ἱερόστολε, ἱεροφάντα,
Ἱεροσαλπιγκτά; ἰθαγενοπρόεδρε.

Κόσμε

Κόσμιε, καρποφόρον, κερμυόστομε, κοσμοδίωκτε,
  Καρχαροδοντοδάμα, κερκοπιθηκοφόνε.
Λαμπτὴρ, λευκοχίτων, λαρόστομε, λειριόμυθε,
  Λαμπρογλυφὲς, λυγρῶν λαμπυροφόντα λύκων.
Μάργαρε, μουσομελίστα, μελίχροε, μυελόμορφε,
  Μυστικὲ, μυελόπαις, μαντικὲ, μακρίθρονε.
Νήδυμε, νυκτοφαὲς, νοερώτατε, νηφαλεόφρον,
  Νικαίης Νέστορ, νησογεροντοκόμε.
Ξενοδόκε, ξύμφρον, ξεναγὲ, ξυμβιόνεκρε,
  Ξυθεμελιοσογράφε, ξυρομαχαιρόβιε.
Ὄλβιε, ὀβελμεργὲ, ὀλύμπιε, οὐρανοβάμων,
  Ὀρφανοπαιδοτρόφε, ὄμπνιε, ὀρθολόγε.
Πρόϊε, πρηΰπάτωρ, παίζων προπίθρονε παίδων,
  Πάμπονε, παιδογέρον, πάμφιλε, πάππα πάτερ.
Ῥηξιλώωρ, ῥήτωρ, ῥυσίπολι, ῥηξοαφένε,
  Ῥίψοφρυ, ῥωμαλέε, ῥωμαϊκοξίφιμε.
Σαρκοασαρκοδίαιτε σαόφρον, σεμνοπρόσωπε,
  Σακκοφόρε, σίλβων, σισαγγιοπρόμαχε.
Τειχοπεριστωτοθὲν ξιαδόφρον, Ταρταρομάστιξ,
  Τερατοφαὲς, ξίτων τῆς Τειαδοσεβίης.
Ὑψίνοε, ὑψικάρηνε, ὑψίθρονε, ὑψικέλευθε,
  Ὑμναγόρ', ὑψαύχην, ὑψικεραυνοβόλε.
Φέρτατε, φρενοδάμα, φιλοφίλτατε, φύξιε, φώσκων,
  Φωραπάτα, φοῖνιξ, φαρμακεπαντίδοτε.
Χρύσεε, χρησμαγόρη, χρυσόθρονε, χρυσεομίξη,
  Χρυσεομηλοφύλαξ, χρυσεοϊλλωογέρον.

ψαλμο.

Ψαλμοχαρὲς, ψάλτα, ψυχέμπορε, ψυχοδιδάκτα,
Ψωμοπεινητοτρόφε, ψευδοδογματολέτορ.
Ὠριε, ὠγυγίμυθε, ὠκύσκοπε, ὠλεσιδαίμων,
Ὠρογράφε, ὠκυπέτη, ὠροσβηγεμολόγε.
Χαῖρ' αὖθις γεραρῶν Ἀθανάσιε κοίρανε ὕμνων,
Μνώεο δ' αἰτ' ἐπέων ὑμναγόρεο πάτερ.

S. Athanasio Episcopo Alex.

QValis in innumeros hostes athleta fuisti?
Quod ceroma tibi, quis tuus vnctor erat?
Et Reges tecum pugnant, & miles, & Orbis;
Et superas omnes, dum fugis Athanasi.
Relligioni omnes, ausim sed dicere, victrix
Relligio debet constabilita tibi.

Eidem.

MAgnis Athanasi prædite viribus,
Et nullis hominum victe furoribus,
Cinctis cæsareo stemmate fortior,
Vnctis thurifico munere sanctior.
Non cæsum decorat gloria Martyrum,
Præconis meritum format Apostolum,
Doctoris studium dotat Episcopum,
Veris perpetuum lumen Episcopis.

Crux est militibus debita ſingulis,
Tu centum crucibus fers noua pondera.
Vt Ieſum populis portet Apoſtolus,
Tu Verbum genitum φῶς ὁμούσιον.

Eidem.

SPectandis aliј numerabant luſtra palæſtris,
Tu latebris longi carceris Athanaſi.
Dumque fugis lucem, lux mūdo es plurima factus;
Et tenebras tenebris obrutus ipſe fugas.
Omnis te doctor Doctorem agnoſcit; & vnus,
Vnus vt & trinus ſit Deus, inde doces.

Eidem.

EXpoſita eſt Satanæ Iobi patientia, verum
Ius in Iobi animam noluit eſſe Deus.
Omnibus Athanaſi patuit patientia technis,
Vnius vnam omnes dum cupiunt animam.
Et dubitas, vtri fuerit patientia maior?
Ergo & victoris gloria maior erit.

Eidem.

SI labor athletas, ſi fortes pugna coronat,
Quæ poterat meritis eſſe corona tuis?
Ille trahens omnes, eſt omnibus omnia factus;
Omnibus à viuis omnia tu pateris.

Et Iob esse sibi non ferrea membra dolebat,
Ex adamante tibi cor fuit Athanasi.

In Inuentionem S. Crucis.

FOemina seducta est, imprudẽs credidit angui;
Depasta & lignum est morsibus illicitis.
Debuit ergo prior ligno illi opponere lignum
Fœmina, curandis tactibus illicitis.
Hæc Helenæ laus est; Crux illi inuenta triũphans
Abstersit tactus crimina fœminei.

In eandem.

CRux tua quod perijt, tibi sola inuenit; & ipsa
Inuenta est, postquã perdita Christe fuit.
Et crucis inuentrix illa est, qua perditus orbis;
Vt sit caussa mali fœmina, caussa boni.
Ergo quod dederat, Crux hoc inuenta recepit;
Et gratam reddit fœmina sola vicem.

In eandem.

VNam Pastor ouẽ quæsitã vt repperit, omnis
Gauisa est Domino turba beata suo.
Crux inuenta dedit communi fœdere cunctis
Gaudia terricolis, gaudia cœlicolis.
Scilicet hac inuenta salus, hac ciuis olympo
Crescit, & hac terris funditur omne bonum.

In eandem.

PEndentem in ligno maledictum legis habebat
Sanctio; dum fixus tu Christe ex arbore pendes,
Sponte tibi maledicta trahis, legisque rigorem
Soluis, & antiquas antiqua, & pristina reddis.
Vitæ arbor plantata homini non præbuit vsum;
Ergo facis, tua Crux vt sit mortalibus arbor
Vitæ, & viuifico surgat benedictio fructu.
Inuidus hanc iterum nobis subduxerat anguis;
Et defossa alte vitalis planta latebat.
Sed vitæ tu auctor deperdita munera reddis;
Inuentor drachmæ, fuerat quæ perdita, ligno;
Inuentor ligni muliebri indagine drachmæ.
Et fugit inuento nunc ligno callidus anguis,
Omnis & è ligno terris benedictio manat.

In eandem.

INuersa arbor homo perijt fructu arboris olim,
Arboris ergo arbor Crux fuit vna salus.
Arbor ab arboribus defossa est; fœmina rursus
Arbor adinuenta est arboris apta salus.
Arboribus potuit sic mutua gratia reddi,
Christo vt det fructus arboris arbor homo.

S. Monicæ.

BIs tu mater eras, bis matre beatior illa,
Quæ nondum mater, bis tulit vna necem.
Bis mater, bis ſancta parens; namque vnica prolē,
Quam ſociata paris, non ſociata creas.

Eidem.

SI Monicam graio vis reddere nomine, ſolam
Dicito; bis mater ſola quod illa fuit.
Bis ſola experta eſt vna de prole dolores,
Vel grauidata viro, vel grauidata Deo.

S. Ioanni Euangeliſtæ.

SAnguine Ioannes non fuſo præmia poti
Fert calicis, magni nomine martyrij.
Qualis enim martyr Virgo illi credita, talis
Virgo Deo carus martyr & ipſe fuit.
Non illis corpus, ſed cor pertranſijt enſis;
Nec mors eripuit, ſed violentus amor.

Eidem.

FErre prudentes oleum feruntur
Virgines, ardet quibus vna lampas.
Virgo tu prudens dolium Ioannes
Sumis oliui.

Scimus athletas oleo perunctos
Labili flexu dare se palæstræ;
Mersus in feruens oleum Ioannes
Fers tibi palmam.
Regius vates oleum maligni
Ne sibi impinguet caput, optat, orat.
Tu natans vrente oleo tyranni,
Pinguior exis.
Nulla obest virtus Aquilæ volanti;
Quin senescenti renouatur ætas;
Balneum membris foret vt fouendis
Feruor oliui.

Eidem.

NObile portentum, pueris quod flamma pepercit;
Sed comes est visus filius esse Dei.
Tu dilecte Deo feruenti immissus oliuo,
Solus es ingrediens, solus es egrediens.
Quartus nempe illos Christus seruabat, at imo
Is tibi Ioannes pectore fixus erat.

Eidem.

VT biberes calicem, vrgebat vox præscia Christi;
Pro calice oblatum tu bibis & dolium.

Et bibis, & biberis, dolio feruente receptus;
At quia non nocuit, non bibit ille calix.
Sic tibi Ioannes plena est promissio Christi,
Non moriens martyr dum bibis, & biberis.

Eidem,

CVr tibi Ioannes dolium feruentis oliui,
A quo nulla feras tu nocumenta, datur?
Si pietas oleum, si est index feruor amoris,
Aptum hoc Ioannes est tibi martyrium.
Nil tamen à simili patitur; sic feruor oliui
Nil tibi, qui ferues totus amore, nocet.

S. Ioanni Damasceno.

VIrginis præco modulante rythmo,
Spiritu psaltes agitante Christi,
Doctor antiqua genitus Damasco,
Vulnere Martyr.
Abstulit mendax tibi charta dextram,
Reddidit verax tibi Virgo dextram;
Quæ pios mater pia diligentes
Diligit omnes.
Arte tu primus veneranda tradis
Scita, quæ cultus docet orthodoxus:
Bina cæcato daret vt Damascus
Lumina mundo.

Gentium surgit nouus inde Doctor,
Surgit & magnus calamo Ioannes;
Ille quæ Christus dedit, vt doceret;
Scriberet alter.

S. Epiphanio Episcopo.

OBuia monstra oculus si fortè inspexerit, horret;
Hæc eadem gaudet, si bene picta videt.
At monstra hæreseon dū scripta Epiphanius offert,
Lætitia hinc animos, hinc pius horror habet.
Nam picta ad viuum quod monstra Epiphanius offert,
Picta videns gaudet, viua videns refugit.

S. Stanislao Matt.

QVid non fœda Venus, depastaque flamma medullas,
Et quid non cogit pectora cæcus amor?
Impia carnificem fecit lasciuia Regem,
Membra minutatim singula qui laceret.
Iuncta sed hæc iterū dant Stanislae triumphum;
Vt clames; vbi Rex, flamma, furorque tuus?

Eidem.

CLamare ſanguis martyrum
Te Chriſte iudex vindicem
Suos in hoſtes creditur.
Auget Stanislaus fidem.
Reſuſcitato mortuo
Terret tribunal regium;
Crudelitati regiæ
Portenta ſiſtens maxima.
Si non ſat hoc Rex impie,
Nouum tene miraculum;
Conciſa membra martyris
Aptata formæ priſtinæ.

S. Michaeli Archangelo.

IGnibus æternis dum ſe videt ille ligatum,
Eſſe alter voluit qui ſuper aſtra Deus.
Infremit, & furijs agitatus clamitat; ergo
Huc me vrges Michael, qui Deus eſſe volo?
Non tamen hac,inquit,tantũ clade angor,vt illa,
Te quod patrono Chriſticolas fugio.

Eidem.

TEmpla petis Michael ſuper alta cacumina montis;
Victor vt & terras, victor & aſtra colas.

Victor

Victor eras cœlo pulsis cum Principe monstris;
Vis montem, illa eadem victor vt inde fuges.
Tellus ima, & vastū æquor lustranda supersunt.
Si monstra inde abigas, vndique victor eris.

Eidem.

TVtor est vitæ datus vnus vni;
Vnus est cunctis Michael patronus.
Dæmonum solus fugat ille turbas,
Tartara vincit.
Ille pugnantem domuit Draconem,
Mentibus ductor fuit ille sanctis,
Et reluctantes animos olympi
Sedibus egit.
Ille Gargani tenuit cacumen,
Ille Romanas sibi legit arces,
Et fouet Christi populos Hebræis
Ille relictis.
Disputans verbo Satanam fugauit
Mosis ob corpus, quid & arma sumens
Ille non possit bene pro tuendo
Corpore Christi?

Eidem.

QVòd sis perductor Paradisi ad gaudia sāctis,
Dux superū Michael, est tibi iure datum.
Praci-

Præcipitem cœlo extrusit tua pugna Draconem;
Lapsaque cum lapso plurima turba fuit.
Ne tua dux Michael virtus nudaret olympum,
Te perductorem ciuibus esse decet.

S.Gregorio Nazianzeno.

AVrea lux mundi, fidei tutissime Doctor,
Sal morum, ingenij lumen & eloquij.
Vni cui cedit septem sapientia Graium;
Alterius Romæ Pastor Apostolice.
In templo templum, Petri vt sis inclytus hospes,
Gregorio pastor dat tibi Gregorius.

Eidem.

ATtica Gregorius fundit de gutture mella,
Et non epotis carmina fundit aquis:
Orphea mulcentem chordis animalia vincit,
Atque Amphioniæ dulcia plectra lyræ.
Dum domat indomitas sacro modulamine tigres,
Saxorum & motu fundat Anastasiam.

Eidem.

PAruula Nazanzus, sedes Byzantia maior;
Gregorio sedes vtraque parua nimis.
Non capit ardentem telluris portio Solem;
Non capit oceanum, sed sua musta lacus.

Gre-

Gregorij laudes dic Bethleemitice Doctor,
Quo duce tam vastum tu colis ingenium.

Eidem.

SEmina qui fidei iecerunt auspice Christo,
Sermo illis verus, non phaleratus erat.
Vt diuina foret, non vis linguæ arte loquentis.
Non dedit hæc primum semina Gregorius.
Semina Gregorius fidei si prima dedisset,
Captum se lingua diceret omnis homo.

Eidem.

ALtera quæ titulis succreuit Roma secundis,
Arx Constantini, filia Gregorij.
Symbola post fidei, dedit amplis symbola verbis,
Dictante hæc verbi semina Gregorio.
Heu, si Gregorij voces Roma illa teneret,
Et Petri, & Romæ filia prima foret.

Eidem.

CEltas eloquio traxerat Hercules,
Vincla perpetuis aure catenulis.
Sacro Gregorius carmine barbaros,
Et vi dulcisona traxit apostatas.
Plus est Gregorius quod bene præstitit,
Vanæ quam licuit fingere fabulæ.

Omnes Gregorius tunc sibi traxerat,
Et nunc eloquij robore pertrahit.
Orat si populis, viscera pertrahit;
Pangit si modulum, cor melos attrahit.
Cordis munditie mens sine corpore,
Doctor, sacrificus, martyr, Apostolus:

ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΕΤΑΚΟΜΙΔΗΝ ΤΩΝ ΛΕΙΨΑ-νων τοῦ μεγάλου φωστῆρος Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου εἰς τὸ περιφανέστατον τέμενος, ὅπερ αὐτῷ ᾠκοδόμησεν ὁ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει ἀοίδιμος, ἄκρος τε φιλανθρωπότατος ἀρχιερεὺς Γρηγόριος ὁ ιγ, ὁ πατὴρ τοῦ ἐν Ῥώμῃ Ἑλληνομουσείου, ἐν τῷ περιφήμῳ ναῷ τοῦ Κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων.

Ο Γρήγορος νοῦς γρηγορήσας εὐθέως,
Ηγειρε Ῥώμῃ τῇ νεουργήτῳ σέβας,
Εγραψεν, ἐβρόντησεν ὡς θεηλόγος,
Εδειξε λαοῖς τὸ τριώνυμον φάος,
Τρισσῶς μοναυγές, καὶ τριλάμπετον μόνως·
Εδει δὲ πάντως καὶ παλαιτάτης ἕδος
Ῥώμης ἱκάνειν τῆς Πετροπρωτοθρόνου.
Τὰ συγγενῆ πέφυκεν εἴπερ συμπλέκειν
Ερως, φύσις, κόλλησις ἔμφυτος νόων·
Ητοι διδράσκειν καὶ πάτρην ὅλως δέοι,
Τυραννοπλῆγι φασγάνῳ δεδμημένην.

Εχειτο

Εκειτο λοιπὸν τὸ γλυκύστομον δέμας
Ρώμην ἔχον, Ρώμης τε φεῦγον τὸ κλέος.
Ως ἡλίου φῶς ἐσκοτωμένον γνόφῳ·
Ως χρυσολαμπὲς μάργαρον πόντου γέρας,
Αγρευθὲν οὔπω δικτυοπλόκοις πάγαις·
Ως λύχνος αὐγὴν ἐν δόμῳ κρυπτὴν ἔχων.
Αλλ' οὐ τὸ Χριστοῦ πανθενόφθογγον στόμα
Εφῆκε λύχνον παμφανὲς κρύπτειν σέλας,
Εν λυχνίᾳ δὲ θέσπισεν φάος χέειν
Ακτινοφεγγὲς ὄμμασιν νυκτιπλανοῖς.
Καὶ γρήγορον νῦν ἄλλον ἐν Ρώμῃ μέγαν
Εδωκε κλεῖς ἔχοντα, καὶ τριστὸν στέφος,
Πυλωρὸν ἄκρως ἀστεροδμήτου στέγης,
Δέκα πρὸς ἄλλοις καὶ τρίτον συνωνύμοις.
Σωτὴρ φανεὶς ἄληπτος ἀργιῶν γόνῳ,
Αἰῶνα κεῖνος ζήσεται τὸν πάγχρονον,
Οἶκον δομήσας πᾶσιν Ελλάδος νέοις,
Ως μουσολήπτως ἐντρυφῶσι τοῖς λόγοις·
Ναὸν δομήσας τῷ φάρου διδασκάλῳ,
Τῷ σύμβολον γράψαντι ἰσαποστόλως,
Εφ' ᾧ τελεῖται γραικολάτρευτον θύος·
Μούσας, σέβας, κλέος τε ζωπυρῶν μόνος
Εκ γραικοσινοῦς μιξοβαρβάρου κάκης.
Ηγειρε κεῖνος παμμάκαρ καὶ σοὶ δόμον
Τὸν γρήγορον νοῦν γρήγορος νοῦς ἐξάγων
Γῆς ἐξ ἀλαμποῦς εἰς ὑπέρλαμπρον σκέπας,

Νεὼν

Νεὼν ἀγάλλων τὸν Πέτρου σοῖς λειψάνοις ἐν
Καὶ τίς φράσαι δύναιτο τὴν δόμου θέαν;
Τίς ἱστορήσαι τὴν ἀριστοτεχνίαν;
Ἐκεῖ λιθαυγὴς μαρμάρεον εὐκοσμία,
Ἐκεῖ διαυγὴς μαργάρεον εὐκλεία,
Ἐκεῖ τὸ χρυσόστρωτον ἐκλάμπει πέδον,
Ἐκεῖ τὸ λαμπρόφωτον ἐκστίλβει τέγος·
Τίς δαιδαλόπνους εἰκόνας διαγράφοι
Ἐκ χρωμάτων, λίθων τε λεπταρμοσίας;
Ὄλυμπον ἄλλον ὡς τεθηπότας βλέπειν.
Καὶ νῦν ὄλυμπον οὐρανοκτήτωρ ἔχεις,
Καὶ λειψάνοις ὄλυμπον ἐν Πέτρου δόμῳ.
Μέμνησο γραικῶν ὦ πάτερ, καὶ σοῦ φίλου,
Καὶ σκῆπτρα χερὸς ἐκτίναξον βαρβάρου.

S. Flauiæ Domitillæ.

NOn domita es precibus, non asperitate minarum,
Nupta Deo vt fieres Flauia nupta viro.
Nec te Cæsaribus prognatam Virgo putabas,
Sacro Eunuchorum sed studio genitam.
Arsisti tandem, flammis consumpta duabus,
Non Domitilla viro, sed Domitilla Deo.

B. Phi-

B. Philippo Nerio.

QVam benè Roma tibi ſacros indicit honores,
Quam tu ferre Deo ſacra Philippe doces?
Sacra doces, iugis populi ne oratio ceſſet;
Primæuæ vt fiat relligionis opus.
Nireus ergo potes vero cognomine dici,
Ornamenta Vrbis priſtina qui renouas.

Eidem.

SVmmus fecit amor, pendenti è ſtipite duro
Coſtas vt foderet lancea Chriſte tuas.
Viuus fecit amor, Nerium dum flamma Philippũ
Vreret, vt coſtas impetus effoderet.
Das famulo maiora tuo; tibi vulnera paſſus
Eſt amor, at Nerio vulnera fecit amor.

S. Ioanni PP. & Mart.

VOcibus humanis quod ſe ſe armarit aſella,
Nobile Diuino prodigium legimus.
Dignius oſtentum tibi ſit venerande Ioannes,
Dum fremit, & dominam reſpuit altor equus.
Vnum, inquit, Petrum portarunt æquoris vndæ;
Vnus equo ſeſſor iam Petrus alter erit.

In Ascensionem Domini.

DAnt pennas venti, ascensum dat candida nubes,
Et virtute tua virque Deusque volas.
Scilicet est Aquilæ tibi vis, renouata iuuentus
Quam decet, & frigens nulla senecta grauat.
Vt pulli ex Aquila te nati Christe sequamur,
Degeneres fieri ne patiare tuos.

In eandem.

CEu ros in madidum vellus, clam Virginis aluum
Christe subis; tantum conscia mater erat.
Nunc petis æthereum multis spectantibus Orbem,
Et Patris ad dextram non minor ipse sedes.
Tempus erit, iudex toti cum adueneris orbi;
Tunc Sol iustitiæ, tunc Deus vltor eris.

In eandem.

PEnderet vt pœnas patrati criminis Adam;
Terra, inquit, Dominus, sit maledicta tibi.
Detersit maledicta homini benedictio Christi,
Dum carne in patrium scanderet ille sinum.
Sed manibus fit plena tuis benedictio Christe,
Nuda voce homini qui maledicta dabas.

In

In eandem.

DVm nasceris, nil frangitur,
Nec porta Virgo rumpitur;
Resurgis & nil frangitur,
Nec porta tumbæ rumpitur.
Sed ima terræ viscera
Dum Christe victor impetis,
Quod obstat, omne frangitur,
Et carcer omnis rumpitur.
Et nunc triumpho gloriæ
Dum permeas altissima,
Cæleste corpus frangitur,
Et porta nobis rumpitur.
Extrema frangis omnia,
Non frangis hæc terrestria;
Integra quod vis omnia,
Totum cor, vnus omnia.
Vnum iuuat, si frangitur,
Si pœnitens cor rumpitur.
Tunc orcus illi frangitur,
Cælumque totum rumpitur.

In eandem B. Virgini.

VT potes ô Virgo natum spectare volantem,
Nec simul ad superos præpes & ipsa volas?

Num tibi, ne ſublime voles, hic penna negatur,
Quæ ſelecta places vna columba Deo?
An diuiſus amor; ne ſi ſimul ipſa volaſſes,
Pars hic nulla foret reſpicienda Deo.

In eandem.

QVi Deus ignis eras, caro factus pondere carnis
Ima petis; ſic te traxit ad ima caro.
Ignis vt abſumpſit ſumptæ contagia carnis,
Summa petis; Sic tu pondus ad aſtra trahis.
Ignis vt ima petas, qui comples omnia, mirum;
Sed magis hoc mirum, pondus vt aſtra petat.

In eandem.

QVam Draco præcipiti vitiauit ſemita lapſu,
Eſt Chriſte aſcenſu purificata tuo.
Et ſaxoſa olim, & pungentibus horrida dumis,
Nunc ampla ad ſuperos, & via plana patet.
Anguſtam molles & vilis turba queratur;
Omnia poſt Chriſtum mollia fortis habet.

In eandem.

IMprimis, vt fama eſt, tacto veſtigia ſaxo;
Et mox imperio ferris ad aſtra tuo.

Sic

Sic impressa tenes tibi carnis vulnera Christe,
Fortibus vt signis mutuus extet amor.
Id tu nempe mones; Memores estote redempti,
Transfossa vt memorē me mea membra tenent.

In eandem.

STabat fixa, Cruci affixo cum pignore Virgo;
Cum volat ascendens natus, & ipsa volat.
Cor tunc fixum habuit moriens in corpore viuo;
Et nunc corde volat, nec tamen illa volat.
Sic nato hærebat Mater, sic vna manebat,
Pectoribus mæstis vt Paracleta foret.

In eandem.

OMnia qui præsens Deus imples, ima petisti;
Carnis & impleto munere summa petis.
Et Patris ad dextram sedem imples, insitus imples
Qui Patris immensum plena propago sinum.
Inde Paracletum spondes, vt repleat orbem,
Impleat & donis pectora casta suis.
Si vis Christe tibi cor plenum, vel trahe tecum;
Implentem vel da pectora nostra Deum.

Eidem.

IN Cruce dū pendes, ad te trahis omnia Christe;
Attamen ascendens nunc potiora trahis.

Insensata tibi moriens elementa trahebas;
Ascendens hominum nunc tibi corda trahis.
Nũc tibi corda trahis, sed nõ trahis omnia Christe;
Corda quod illa trahis, quæ Pater ipse trahit.

In eandem.

QVi te Christe sequi tumidis optauit in vndis,
Aethera dum penetras, non cupit ille sequi.
Pastoris nam pastor erat velut vmbra futurus;
Non tamen vt mortis victor & ille foret.
Rex igitur propria tu maiestate triumphas,
Et Petrus inuerso corpore te sequitur.

In eandem B. Virgini.

VIdes petentem filium
Virgo paternam dexteram;
Non videras, cum viscera
Descendit ad purissima.
Vestigiorum symbola
Impressa terræ conspicis;
Impressa nulla conspicis
Virgo tibi vestigia.
Apostolis videntibus
Solum trahuntur lumina,
Tibi videnti filium
Expectorantur viscera.

Quo

Quo viuis ergo ſpiritu,
Orbata mater filio?
Sic abſque corde viuitur,
Et abſque luce cernitur.

Die octauo Aſcenſionis.

SOl nouus eſt Chriſtus, Sol eſt qui circuit orbẽ;
Attamen oppoſitis fertur vterque modis.
Alta oriens, petit ima cadens phæbeia lampas;
Is petit ima oriens, & petit alta cadens.
Hinc quia Sol generat, Sol hic pereuntia gignit;
Germina Sol Chriſtus non peritura creat.

Die Sacro Pentecoſtes.

SI mortalis homo limoſo è puluere factus,
Et male confractus, reſtituendus erat.
Sat puluis, ſat limus erat, non igneus imber,
Diffundis grandi quem Paraclete ſono.
An tu ignis conflans & fracta ſalubriter vnis,
Et ſana euadant vt meliora, facis.
Angelus eſt ignis; per te mutatus in ignem
Puluis homo, in formam tranſijt angelicam.

Eodem die

Spiritui sancto Deo opt. max.

PErficis, quicquid Genitor creauit;
Perficis, quicquid Genitus redemit,
Nexus amborum, pelagus bonorum,
Spiritus ignis.
Viuus æterni Genitoris ignis,
Ignis æterno Genitore nati,
Hinc & hinc flatu veniens ab vno
Spiritus ignis.
Ignis est sursum leuitate currens;
Corda tu scrutans penetras ad ima;
Vris, accendis, reficis, repurgas.
Spiritus ignis.
Virginis ventrem grauidas obumbrans,
Tu Sacerdotes facis, & prophetas;
Dona largiris, Patris ipse donum
Spiritus ignis.
Præpotens dextræ digitus paternæ;
Fons aquæ viuæ, simul ignis vltor;
Igneo terræ renouator imbre
Spiritus ignis.

Ignis es, mentis tenebras repelle;
Ignis es, cordis glaciem resolue;
Praua secernens, bona quæque conflans
Spiritus ignis.

Eodem.

NOn fertur acri spiritu,
Non vult procellæ turbinem;
Leni Creator sibilo
Se sublatere dixerat.
Nunc acriori spiritu
Venit Creator Spiritus;
Domumque replet spiritu
Feruentiori sibilo.
Largitor olim Spiritus
Non copiosi muneris,
Nunc fundit omne munerum
Examen aptis cordibus.
Tunc aura, nunc est Spiritus;
Tunc Israel, nunc gentibus;
Figura tunc, nunc veritas;
Tunc vmbra, lux nunc aurea.

Eodem.

Ζῆν animus feruens; sed quòd refrigerat, aiunt,
Officio ψυχὴ dicitur ille suo.

At si flante Deo primum est in viscera fusus,
Solum ille ψυχὴ, non tamen ignis erat.
Nunc vbi discipulis infudit Spiritus ignem,
Igneus est, & ζᾶν feruidus ille potest.

Eodem die S. Petro.

FRigebat olim Petrus, & se frigidum
Igni fouebat, & fouens negauerat.
Nunc Petrus igni Spiritus accenditur;
Et quem negarat, nunc Hæbreis prædicat.
Quis credat, ignes esse Petro frigidos;
Et quos dat ignes Christus, ardentissimos?
Sic ignis igni Spiritus absumitur,
Et petra viuum Petrus ignem concipit.

Eodem.

SCripta Dei digito lex est in marmore prima,
Altera lex ipso scribitur à digito.
Cordibus imprimitur quæ sacro mollibus igni,
Linguarum & viua traditur effigie.
Tota bipertito quòd lex impletur amore,
Flantis amore Dei, fratris amore mei.
Quid magis optandum? lege hac Deus ipse tenetur
Et lex est, vt homo, sicut amatur, amet.

Eodem.

Eodem.

VRgebat sanctam tua vis Iudææ cateruam,
Quam cogente metu clauserat vna domus.
Vt sonus intonuit linguarum aspergine mixtus,
Corde leoninos protulit illa viros.
Quæ maiora dari cuperes tibi perfide signa?
Non tam fit noua lex, quam renouatur homo.

Eodem.

NVnquam lingua homini, nec linguæ defuit vsus;
Cur linguas homini das Paraclete nouas?
Omne malum lingua est; noua fundere munera linguæ,
Donare est hominum mentibus omne bonum.

B.Virgini. Sabbato Pentecostes.

CVr tibi lingua cadit supra caput ignea, linguæ
Si nunquam officium regia Virgo subis?
Et quæ plena Deo fueras, plenissima donis,
Qui capis illapsum nuper & ipsa Deum?
Si cœli enarrant Plastæ præconia, cœlum
Virgo es, quo patefit gloria summa Dei.

Omnia

Omnia si per te diuina charismata dantur,
Te plenam decuit non semel esse Deo.
Omnia tu loqueris, non vtens munere linguæ;
Et facis in nobis omnia plena Deo.

Eodem.

IGnem Christus ait terræ missurus ab alto
Veni; en terrigenis ignis ab axe cadit.
Igneus in speciem linguarum funditur imber,
Scilicet hos imbres tu dare Christe potes.
Vt Deus, vt Verbum; Verbũ Patris, & Deus ignis;
Igni ignis, Verbo lingua potente datur.

Eodem.

EXtinxit fœdos vltor Deus ignibus ignes;
Nunc homines igni nobiliore creat.
Nam Deus ipse ignis linguarum fulgure lapsus,
Hoc facit, igni ardens igneus vt sit homo.
Si Plastæ assimilis iam terreus, igneus igni
Quam magis assimilis nunc homo totus erit?

Eodem.

EXcipiunt omnes illapsum cœlitus ignem,
Primus at ignifero personat ore Petrus.
Primus Apostolico summus fit munere præco,
Esse Deum Christum primus & ipse docet.

Fortior vt lingua eſt, quam enſis, quem ſtrinxerat olim?
Tunc aurem, ſed nunc ſaxea corda ſecat.

Eodem.

MIlle ſonis audit dũ ſanctos turba loquentes,
Muſto plena vocat pectora plena Deo.
Non ſunt plena, inquit Petrus, pia pectora muſto;
Feruida ſed vero ſunt agitante Deo.
Sic te Petre ſuum paſtorem Eccleſia ſentit;
Ipſe doles, lacerat dum fera lingua gregem.

Eodem.

ARte noua primus tendit ſua retia Petrus,
Et tria piſcatur millia ſancta virum.
Hæc fuerant olim Chriſti promiſſa vocantis;
Non piſces, homines iam capietis, ait.
Ter felix, tantæ quiſquis ſit præda ſagenæ;
Non capitur, vitam ſed capit ille ſuam.

Eodem B.Virgini.

MEns tibi, mox venter, cor denique numinis hoſpes
Extitit; & trinum ter capis vna Deum.

Mente

Mente Patrem, Verbumque vtero, corde excipis ignem;
Dum linguæ in speciem cœlitus ille cadit.
Quæ magis apta Deo, quæ fiat mansio maior?
Vna triplex Virgo dat tribus hospitium.

Eodem.

PAtris obumbrauit virtus tibi Regia Virgo,
Nuntius è cælo cum tibi dixit, Aue.
At nunc lingua tuum supra caput ignea fulget;
Ergo tibi soli lux fit & vmbra Deus.
Vmbra implens ventrem puro velamine carnis,
Lux implens mentem dotibus innumeris.

Sic Deus dilexit Mundum.

QVi nati est genitor, mundi fuit ille Creator;
Et natura magis, quam vigor artis amat.
Ne tamen hic pereat, pro nobis tradidit illum;
Et minor in Patris pectore vicit amor.
Vt sit gratus homo, quid tanto reddat amori?
Plus amet, atque animæ præferat ille Deum.

Nemo potest venire ad me, nisi &c.

SI porta es vitæ tu peruia Christe volenti,
Cur non ire datur, ni Pater ipse trahat?
A Pa-

A Patre tu missus si pertrahis omnia Patri,
Nos ad te contra qua Pater arte trahit?
Non datur alterutro rerũ ordine circulus, aiunt.
Diuinis tantum circulus iste datur.
Natus cuncta Patri, Genitor trahit omnia Nato;
Vt simili sitis conditione pares.
Vtque vnus coniungit amor vos Spiritus ambos,
Sic trahit alterutri, quod trahit vnus amor.

In idem.

OMnia quod traheres, aiebas Christe; trahentem
Ad te qui veniunt, asseris inde Patrem.
Et si sponte sequi vis, qui tua iussa sequuntur,
Quis sponte hos dicat Patre trahente sequi?
Fas erit hoc nobis ænigma ænigmate solui.
Non mea quæ mea sunt, sed Genitoris, ait.
Est Pater ergo trahens, dũ tu trahis omnia Natus;
Et quo vincta hominum corda trahuntur, amor.
Si tamen immensi vim perpendamus amoris,
Tu magis attraheris, quam tibi Christe trahas.

Dominica SS. Trinitatis.

SCire Deum cupit omnis homo; sed scire quod optat
Dum studet, incassum nititur omnis homo.

Esse Deum capit omnis homo, quodq. esse negatur;
Scire quod affirmet, non capit omnis homo.
Tantus amor frustra cupientis, nec capientis
Ne foret, ille facit, quem cupit omnis homo.
Factus homo fit notus homo, notusque Parentis
Filius; hinc scitur nexus vtrumque ligans.
Sic Trias, atque Monas capitur; tantoq. Magistro
Iam capit omnis homo, quod cupit omnis homo.

Eadem.

SI licet è rebus rerum cognoscere caussam,
Summus mundi opifex vnius vnus erit.
Si tamen ex hominis noscatur imagine Plastes,
Vnius & trini Trinus & vnus erit.
Vnus erit, natura creans dum cernitur vna;
Ob duo fœcundæ germina, Trinus erit.
Qui Triadem nouit, nouit se, & numen adorat;
Qui negat hanc, stultus se negat, atque Deum.

Eadem.

HInc Iudaismus perfidus,
Enormis hinc gentilitas
Erroris obscurissimis
Cæcutiunt ambagibus.
Persona numen vnica
A Iudaismo fingitur;

At mille vult gentilitas
Plebis Deorum numina.
Persona non est vnica,
Nec multiplex diuinitas.
Qui gignit, & qui gignitur,
Et qui duos complectitur.
Hæc veritatis semita;
Hæc vnitas, hæc Trinitas;
Et quod tibi notauerat
Iudææ Tetragrammaton.

Die Festo Corporis Christi.

Virginis ad verbum nostros Verbum induit artus;
Sacrifici ad verbum pane abeunte venit.
Attamen ad verbum nostros semel induit artus,
Assiduè panis sed subit effigiem.
Quanta est vis Verbi? verbo creat omnia, verbis
Vim dat, qua Verbum dicta repente trahant.

Hoc est corpus meum.

Ante tuum tradis corpus, quam traditus ipse
Christe fores; & das, quod dare nemo potest.
Tu dator atque datus; tu victima, tuque Sacerdos;
Tu cibus & potus, solus & esca tibi.

Et

Et ſemel infelix Iudas te tradidit, ipſe
Te tradis, quoties te tua verba trahunt.

Eodem.

QVid, quantum paſſus, quis, cur dira omnia paſſus
Chriſte, vt vis nunquam temporis abripiat.
Rem facis, in quam omnes fert omnipotētia vires;
Rem facis, hanc ſolus qui facis vt capias.
Te ſub pane homini, te das ſub tegmine vini.
Hæc cui certa forent, ni tua verba forent?

Niſi manducaueritis carnem &c.

ESca homini ſunto nudæ ſine ſanguine carnes;
Dixerat abluto fluctibus orbe Deus.
Quid nunc Chriſte iubes? fuſum ni quiſq. cruorem
Ebibat, vt vitam non ferat ille tuam.
Tunc ablutus aquis, ſine ſanguine viuere iuſſus;
Sanguine nunc lotus, ſanguine viuit homo.

Eodem.

VIderat omnipotens, in mortem vt corruit Adam,
Quod fuerit vetitus criminis anſa cibus.
Et cur, inquit, opus rapiat mors improba noſtrum?
Lex noua condatur, lex data ſi nocuit.

Me

Me quoque nunc homines, inquit, me ſumite carnẽ;
Antidotum mortis ſic ego panis ero.

Eodem.

VIrginis intactæ cum viſcera caſta ſubires
Chriſte, Deus nullo tegmine nudus eras.
Pectora noſtra ſubis velatus tegmine panis;
Tunc homo, nunc ſimili factus amore cibus.
Tunc homo tu factus, facis at nũc pectore ſumptus,
Dum te ſumentes efficis ipſe Deos.

Eodem.

NE ſibi de ligno vitæ deſumeret Adam
Poma, voluptatis pulſus ab arce fuit.
Pœnituit pepuliſſe Deum; cui profuit arbor
Vitæ, inquit? fruſtra cur mihi planta fuit?
Do vitam, ſi tunc vitalia poma negaui;
Et nunc me viuo pane cibetur homo.

Eodem.

LEge ſua Plaſtes Adæ poſt crimina ſanxit,
Sudanti vt panem terra coacta ferat.
Aſpera lex tandem pia flexit viſcera Plaſtæ;
Temperet & legem lex miſerantis, ait.
Panis ego fiam, cedat labor improbus; ipſo
Me miſſo è cœlis pane fruatur homo.

Eodem.

ALter amicus ego si sit, dum nectit amantes
Mens vna, & penetrãs corpora bina fouet.
Qui duo coniungens, mentem vnam, corpus & vnum
Efficit, is quantò maior amicus erit?
Hoc tu Christe facis, qui potio factus & esca
Et concorporeos reddis & vnanimes.

Ego sum panis viuus.

QVi Deus est viuus, viuus quoque panis habetur;
Sit dator vt vitæ, qui prius vltor erat.
Panis enim viuus neruos vitæ inserit omnes,
Qui Deus vt viuus perculit interitu.
Ergo Deum viuum, iam panem sumere viuum,
Nunquam cesset homo, ne moriatur homo.

Eodem.

FRugibus vt vesci posset, mox carnibus olim
Non viuis homini Conditor ipse dedit.
Ipse caro factus panem dat sumere viuum,
Carnibus vt viuis viuere possit homo.
An ne homo iam factus finis rerum vltimus, illi
Si datus in panem cessit & ipse Deus?

Panis,

Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.

SI panis, cur dicta caro? ſi viua ſubeſt res,
Non panis, panis cur ſibi nomen habet?
Eſſe tamen tu Chriſte potens hoc dicis & illud;
Sit ſimul vt panis, ſit quoque viua caro.
Dentibus eſt panis, caro mentibus; indice panis,
Re caro; ſic panis ſit quoque viua caro.

Et de petra melle ſaturauit eos.

FOntem petra dedit, quẽ virgæ exciuerat ictus;
Quid mirer, Chriſtus ſi ſua mella dedit?
Frigida petra dedit ſua frigida munera; Chriſtus
Feruida petra ſuo munere mella dedit.
Mella dedit Chriſtus, qui lac ſub ſanguinis vnda
Effundens, dulci nectare lætificat.

Eodem.

ANgelicus panis, qui vera eſt mentibus eſca,
Mentibus atq. ſimul ventribus eſca datur.
Sed non angelicis data potio mentibus illa,
Vt menti & ventri potus & eſca datur.
Si cor lætificant ſpumantia pocula, cedant
Angelica humanæ gaudia lætitiæ.

Eodem.

QVò magis vna eſt res, hoc eſt ſibi iunctior; atqui
Qui ſummè eſt vnus, funditur ille magis.
Summè vnus Chriſtus, ſed adeſt quocumque vocatur;
Nec motus trahitur, quo ſua verba trahunt.
Vnus habet cœlos, & centum imponitur aris;
Nec minus eſt vnus, nec ſibi diſtrahitur.

Eodem.

QVæ duo legitimis implebant Paſcha figuris
Iſacidum populo, panis & agnus erant.
Noſtrum Paſcha ſibi duo nectit Chriſtus in vnum,
Ipſe Agnus, populo panis & ipſe ſuo.
Nec ſibi lactucas Paſcha hoc admiſcet amaras,
Sed bene ſumptum omnem pellit amaritiem.

Eodem.

QVa comedes hora, morieris; dixerat Adæ;
Mors nunc pęna, inquit, nõ comedentis erit;
Vnus & antiquæ lator, legiſque ſecundæ;
Nunc cum carne Deus, tunc ſine carne Deus.
Scilicet ipſe meis, inquit, tam diſſita mando
Legibus, vt lapſus reſtituatur homo.

Eodem.

Eodem.

HOstia mosaico caderet cum saucia ritu,
Vrendus Domino rite dabatur adeps.
Nunc frumenti adipem dat nobis ipse cibandis
Sub modico panis tegmine factus adeps.
Non me, inquit, tauri carnes, hirci ve saginant;
Ipse saginabo vos ego factus adeps.

Eodem.

QVod facit, immemorem capiat ne obliuio mentem,
Quis neget esse minus, quã res quę cernitur ipsa?
Tu magnorum operum das maxima symbola Christe;
Et quod facta notat, solum facta omnia vincit.
Te das carne cibum, das viuo sanguine potum;
Totus pane latens, vini intra pocula totus;
Parte omni totus, totus quocumque vocaris;
Et Patris ad dextram totus, totusque per aras.
Hoc vis esse operum monumentum iuge tuorũ,
Omnia quod superat fidei miracula nostræ.
Si licet effari, veniam da Christe loquenti.
Non facit hoc memores; stupor hinc enascitur omnis.
Et stupor hic animos dũ priuat munere sensus,

Efficit vt veniat cunctarum obliuio rerum.
Suffice tu vires, stupidam tu collige mentem;
Mortis signa mihi sint vitæ vt signa futuræ.

Eodem.

ILle, qui cœlos Deitate complet;
Ille, qui terram Deitate complet;
Panis angustam subiens figuram,
Corpore complet.
Panis in carnem cibus est alendam,
Carne de viua facit ille panem,
Panis vt viuus sibi viua reddat
Corpora sumptus.
Ergo viuendi nouus ordo surgit.
Pane non viuo mea vita viuit,
Pasta nunc panem mea vita viuum
Mortua surgit.

Eodem.

TE fasciis obuoluerat
Enixa Virgo paruulum;
Nunc fasciis obuolueris,
Cum te Sacerdos aduocat.
Tunc Christe lac vt sugeres;
Nunc panis vt tu nutrias;

Tunc

Tunc paſtus vno tempore,
Nunc paſtor omni tempore.
Diuina tunc vis abdita,
Nunc & virilis abdita.
Tunc ventre matris editus,
At ventribus nunc conditus.
Mortalis à mortalibus
Vt figereris hoſtia;
Nunc ſumptus, vt mortalibus
Sis morte victa pharmacum.

Eodem.

CErta crementi venit amplitudo,
Sumpta quam viuis alimenta præſtant;
Sero crementum negat, & recuruat
Tarda ſenectus.
Viuus at panis datur eſca Chriſtus,
Pane velatus, grauidoque vino,
Vnde crementi venit altitudo
Sidera tangens.
Panis hic totam vegetat iuuentam,
Panis hic totam vegetat ſenectam,
Donec excreſcens animus ſupremum
Scandat olympum.

Eodem.

MAgnam dediſti cœnam
Opſonijs carentem.
Conuiuium paraſti,
Quod panis eſt & vinum.
Quæ panis atque vini
Vis expleat conuiuas?
Cur hæc tricliniorum
Sunt cœna diuinorum?
An omnium ſapores
Das Chriſte pane ſolo;
Et omnium liquores
Das vnico liquore.
Quod manna per figuras,
Hoc panis eſt, & vinum.
Dabat ſapores illud,
Quos quiſque concupiſſet.
Hæc concupitos donant,
Nec concupitos vnquam;
Quos ſcimus & neſcimus,
Quos nemo deguſtauit.

Eodem.

QVod vina lymphas optima
Ad nuptias creaueris,

Iudæa vidit inclytum
Miraculis exordium.
Exordium conuiuio,
Conuiuio coronidem
Miraculorum perficit
Substantiarum transitus.
Semel potitus inclyto
Iudæus est miraculo;
At iuge nunc miraculum
Substantiarum transitus.
Postrema quod tunc optima,
Conuiua questus miscuit;
At gratias & gloriam
Dat Christe nunc Ecclesia.
Illum quod hausta pocula
Inebriabant hydriæ,
At nos tuo quod intimè
Inebriamur sanguine.

Eodem.

DIc tentator, ait, si summo es numine natus,
Christe, nouus panis fiat vt iste lapis.
Tu panem in carnem, in viuũ das vina cruorem;
Et nudata tibi tegmen vtrumque facis.
Hoc amor efferuens, hoc summa potentia fecit;
Hoc probat esse hominem te simul atque Deum.

Eodem.

PAnis è cœlo datur, vnde ſumptus?
Et quibus coctus datur ille flammis?
Viuus humano datur vnde panis
Dente premendus?
Vel noua cœli datur arte panis,
Et nouo cœli datur imbre panis;
Panis è cœlo vel habetur, ipſa
Virginis aluo.
Amplior toto fuit illa cœlo;
Vberem pani dedit illa maſſam;
Viuus eſt viuo bene coctus illic
Panis ab igni.
Panis è cœlo venit ergo viuo,
Ventre, quo ventres alat ille viuos;
Vita viuenti, morientis idem.
Mors data ventri.

Pro Iubilæo.

SPinoſa eſt callis, quæ vitæ ad limina ducit;
Nec ſine vi ad ſuperos fortibus ire datur.
Quantus amor noſtri, quãta eſt clementia Chriſto?
Eſſe iubet planum, ne timeatur, iter.
Ipſe, ſuo tollit qui ſanguine crimina mundi,
Tollit & humanis debita criminibus.

In

In SS. Euchariſtiam.

MAgna decent magnas res ſymbola, paruula paruas.
Mens mea quò ferris, quid mea mens agitas?
Hoſtia quod fuerit Chriſtus, notat hoſtia panis;
Signaque dat mortis victima viua ſuæ.
Nam quia nulla dari poterãt huic ſymbola morti,
Index ipſe ſui, quanta ſit illa, docet.
Non capis? at capies, ſi prudens credere diſcas,
Vnum poſſe capi, non ea poſſe capi.

In eandem.

DIua fides, diuinus amor, ſpes diua piorum,
Hæc ſi deficiant, vita ſaluſque perit.
Deficiunt, hæc ni foueat præſentia Chriſti;
Deficit vt ſubito lux, vbi Phœbus abeſt.
Hinc ſub pane latens fouet hæc præſentia Chriſti,
Datque ignem præſens, ſpemque fidemq. latens.

S. Ioanni PP. & Mart.

SVmma Petrus tangens ſpecioſæ limina portæ,
Loripedis voluit conſolidare baſes.
Aurea Ioannes dum tangit limina portæ
Byzanti, cæco lumina reſtituit.
Clauigeros portæ quis non agnoſcat olympi?
Ianitor ad portam munus vterque dedit.



Quæ mulier ſi perdiderit. &c.

Dominica tertia poſt Pent.

POnis Chriſte animam, ne perdita drachma periret;
Et vis perdi animam, perdita ne pereat.
Tu via, tu veri lux tanta ænigmata nectis;
Perdis, vis perdi, perdita ne pereant.
Se dum quærit homo, drachma eſt tibi perdita; perdens
Se tibi, fit quærens te ſibi, Drachma tibi.

S. Barnabæ Apoſtolo.

OBiecta ante oculos, manibuſque hærentia ferri
Præcepta legis legis auctor iuſſerat.
Chriſti Euangelium corde, ore, & pectore fixum
Viuens gerebat & ſepultus Barnabas:
Scilicet id clamans: lex illa eſt mortua; viuam
Viuens, ſepultus, porto legem Barnabas.

S. An-

S. Antonio Patauino.

SEmina qui pelago mandat, qui scribit in vndis,
Frustra agit; at frustra hęc nō Patauinus agit.
Frustra vt menti hominum mandauit semina verbi,
Ad pisces versus repperit obsequium.
Non pelago, Antoni, non piscibus indita virtus,
Sed linguæ virtus tota loquentis erat.

Eidem.

MArtyr vterque cupit dum Christo Antonius esse,
Et sine martyrio martyr vterque fuit.
Hæreticos fugit senior, virtute fugauit
Iunior; & multis Doctor vterque fuit.
Ille; vbi eras, inquit, multa inter verbera Iesu?
Fert Iesum hic casto pectore, corde, manu.

Eidem.

IMpia mens Christum sub pane latere negabat;
Mox tuus Antoni saucius arsit amor.
Et sacrum ostendit panem hinc, inde ordea mulæ;
Poplite curuato flexit at illa genu.
Exclamas Patauine heros; en bellua præstat;
Et iam iumento peior habendus homo.

S. Ba-

S. Basilio Magno.

SAcra Deo faciens dum stat Basilius ad aram,
Romani princeps adstitit imperij.
Perstitit immotus defixa mente Sacerdos;
Corruit is, sacrum dum stupet obsequium.
Hoc est sensum, inquit, Basilius habere vigentem;
Si careas sensu, dum tibi Christus adest.

Eidem.

DIsijcit insanos Basilius fulmine linguæ,
Turrificum que facit ne timeatur opus.
Scribentem Eunomium scribendo perculit ipse,
Scriptoremque simul perdidit & calamum.
Ergo sibi merito Magni cognomen adeptus,
Ingenij palmam fert simul & meriti.

Eidem.

PAruulus magnum domuit gigantem,
Saxa prostratum iaciente funda;
Magnus at magno Basilius ore
Mille gigantes.
Ferreus Sampson domuit capillo
Stante, mox raso domitus capillo.
Hæreses nudo Basilius ore
Strauit inermis.

Conci-

Concidit turris vel ad astra currens,
Sorte linguarum varia sonante.
Mille subuertit Basilius vno
Murmure turres.
Terruit linguæ tonitru superbos,
Terruit Reges fidei tyrannos,
Infremens grandi calamo futuros
Terruit hostes.
Fortis ipse idem Monachis aliptes,
Grandis orator, pius & magister,
Reddidit Christo cumulata quinque
Mille talentis.

Eidem.

ET sella, & calamus, furiosaque dextra Valentis
Implere officium non bene iussa negant.
Nam te dextra Dei scriptorem experta fidelem,
Dextra vt proscribat regia non patitur.
Te quoque vel scribens frustra proscriberet illa,
Scriptus qui in Patriæ codice ciuis eras.

Eidem.

SCeptra valens Romana gerit, Basilius & ipse
Regis habet nomen, rem quoque Regis habet.

Nititur

Nititur incassum, Basilius vt exulet, ille;
Hic mundi imperium ridet & exilium.
Illi dum scribit, sedem sua sella negauit;
Scribit hic, & sedes tartareas agitat.
Ille tenet calamum, calamus sed frangitur illi;
Hic calamo hæreticas vindice frangit opes.
Officium neruis negat illi dextra solutis,
Hic potuit neruis consolidare fidem.
Conscidit is chartam, chartas hic conscidit; ille
Dum furit, hic furias dum fugat Eunomij.
Stemmata quid prosunt, nihil est si regia virtus?
Omnia sub pedibus si Basilius habet?

Eidem.

MAgnus erat calamo, magnus pietate tuẽda,
Ingenio magnus, magnus amicitia.
Ad luctas animi Basilius magnus aliptes,
Magnus ad insanum Cæsaris imperium.
Confer quos titulo Magnos dixere priores;
Qui supra nubes stet, Basilius erit.

S. Paulino Episcopo.

SE redimẽdo homini Christus cum tradidit, vnus
Nullo captiuus nomine liber erat.

Se

Se redimendo vni Paulinus tradidit, ipse
Sorte vt captiuus non meliore foret.
Fecit vterque sua pro conditione redemptor,
Pro seruo seruus, pro famulis Dominus.

S. Ioanni Baptistæ.

E*T magnus paruusque puer cur diceris idem,*
Quem sterilis sterili semine fudit anus?
Magne puer, matres alijs, tu munera matri
Das; plenusque imples carmine fatidico.
Quique facis mutum, vatem facis inde parentem,
Vltima tu vatum linea magne puer.

Eidem.

O*Mnibus ille præit, quem candida castra sequuntur;*
Ille præit Christo, quem pia fundit anus.
Lucifer vt Soli, vox vt clarissima Verbo,
Vt præco Regi, nuntius vt Domino.
Fortunate puer, tu nato è Virgine præcox
Vt nascendo præis, sic tibi nemo præit.

Eidem.

S*Ceptra Rex primus, puer est adeptus;*
Vltimus vatum puer est Hebræis.

Q *Ille*

Ille reiectus, puer iste Christo
Dulcis amicus.
Purus ex aluo fuit vnus olim,
Prodromus surgit melior Ioannes,
Ille quem Christus latitans latentem
Visit amicum.
Ille, qui saltans fuit ante partum;
Ille, qui matri dedit esse vatem;
Ille, qui patri deditore lætum
Fundere carmen.
Et Deo charus, populisque charus;
Barbaris charus, sine fine charus;
At minus charus Satanæ, Ioannis
Quem necat ortus.

Eidem.

VAgitu queritur misero, cum nascitur infans;
Gaudia Ioannes nuntiat ex vtero.
Lucem quisque videt, cum in lucẽ est editus infans;
Lucem non in lucem editus ille videt.
Sopita est alijs mens tota infantibus, illi
Mens videt, & sensus præuenit officium.
Ecquis erit puer hic, quærebat turba piorum.
Quærendum in præsens; quis puer iste putas?

SS.Mar-

SS. Martyribus Ioanni, & Paulo.

O Par beatum turturum,
Pulli columbis editi;
Non totus vnus hostia,
Quin totus alter hostia.
Vterque Christo victima,
Vterque totus hostia,
Non expians puerperas,
Sed enecans Apostatam.
Quæ sæuiebat vnguibus,
Princeps volucrum pessima;
Hanc par necauit turturum,
Cum fratre frater inclytus.
Aeterna Romæ lumina,
Paulus, Ioannes; martyrum
Gemmæ, superbæ lampades,
Baccis oliuæ turgidis.

SS. Apostolis Petro, & Paulo.

SAnguine fraterno nata est Vrbs, sanguine creuit,
Sanguine fit cœli Clauis Apostolicò.
Fœdata est primo, terras populata secundo;
Tertius vt terris subiuget astra, facit.

Parua dedit primus, bella alter atrocia ſanguis;
Tertius vt nunquam ſit ſuperanda, dedit.

Ijſdem.

FVndata eſt primũ, fœdataque Roma gemellis,
Et Rege exacto ſubdita Conſulibus.
Imperio ſed fracta ſuo ſeſe ipſa ſubegit,
Proſtrataque Patrum nobilitate ruit.
Vt foret æterna Vrbs, rurſus fuit illa gemellis
Fundanda, & ſceptris condecoranda nouis.
Ergo Petrus, Pauluſque venit; qui viribus æquis,
Vno cuncta ſimul tempore reſtituunt.
Nunc & Conſulibus ſacris, ſummoque Monarcha,
Et Patrum conſcripto ordine Roma viget.

Ijſdem.

VAtes Chriſte tuum qui viderat ante triumphum,
Vidit & in manibus cornua dura tuis.
Et vires latitare tuas ſub cornua dicit.
Quæ ſunt hæc manibus cornua dura tuis?
Cornibus elatis Romana potentia ſurgens,
Cornibus illa tuis Chriſte petenda fuit.
Tu ſcelus, & mortem, tu immitẽ dæmona vincis;
Romanum imperium cornua bina domant.

Corni-

Cornibus ergo tuis Petro Pauloque triumphas,
Estque tibi quarto Roma subacta loco.

Ijsdem.

ET nomen Tarpeiæ arci caput indidit olim,
Portenditque orbis te fore Roma caput.
Et duo nunc, Paulique caput, cruxq. inclyta Petri,
Imperium signant fortius esse tibi.
Nam caput inuerso suffixus corpore Petrus,
Præcisum & Paulus dat caput ense suum.
Terrarum imperij caput index si fuit vnum,
Vt duo sint index duplicis imperij.

S. Petro Apostolorum Principi.

VIuifico Phaethon perlustrat lumine terras;
Frigida nocturni temporis vmbra nocet.
Petrus Apostolicæ virtutis lumine vitam
Indidit, & vitam hanc indidit vmbra Petri.
Si plusquam Phaethon Petri valet vmbra, vocandus
Vmbra Petri phaethon, Sol erit ipse Petrus.

In Basilicam S.Petri restitutam.

OLim Iudaicum Templum Petre obstupuisti;
Quid si vidisses, quod tibi Roma dicat?

Vmbrarum instabilis sedes fuit illud, & vmbra;
Fons hoc æternæ Relligionis erit.
Instauratum illud semper minus extitit, istud
Grandius exurgit, splendidiusque tibi.
Surgere non poterat Petri non amplior ædes,
Dum Pauli surgit Principis imperio.
Siue docet Paulus, seu Petri in sede locatur,
Hoc facit, vt Petri sit magis ampla domus.

Duc in altum, & laxate retia.

VNi Simoni, Duc, inquit, Christus, in altum;
Et laxante Petro retia, præda venit.
Si sunt præda homines laxanti retia Petro;
Non laxante Petro retia, cuius erunt?
Vnus Christo vni si Petrus retia laxat,
Antichristi alijs præda vorantis erit.

Priuilegia Petri.

CHristus Petra, Petrus petra est de Principe petra;
Christus habet claues, has habet inde Petrus.
Pastor oues Christus redimit, pascitque redemptas;
Pascit oues Christi pastor amore Petrus.
Vnum pro Christo & Petro dat præda staterem;
Calcat aquas Christus, calcat & ipse Petrus.

Eſt gladius Chriſto, gladio tu Petre cruentas;
Sunt etiam gladij ſat tibi Petre duo.
Vmbra Petrus Chriſti eſt, vis vmbræ à corpore manat;
Et quod non Chriſti, præſtitit vmbra Petri.
Figitur ille Cruci, Petrus cruce fixus in alta,
Dum ſequitur Chriſtum, tollit ad aſtra pedes.
Pugnatum in Cœlo eſt; pugna hæc ſpoliauit olympũ;
At Petri vires prælia nulla domant.
Infremat hæreticus, iactent tela omnia Reges,
Inſidias tendant tartara nigra ſuas.
Ingruat oceano ventorum turba furentum;
Et feriat nubes ſpuma volantis aquæ.
Cymba Petri tuta eſt, nullis mergenda procellis;
Et vincit vinci neſcia quicquid obeſt.
En quos Roma tibi Petrus donauit honores;
En quas piſcator dat tibi Petrus opes.
I nunc, & longos numera mihi Roma triumphos,
Et iacta imperij nomina mille tui.
Te pes, pes te hominis tumidam ſubſtrauit egeni,
In cœlum vt titulis erigerere nouis.
Pluſquam terrigenæ, tibi nunc obtemperat æther;
Et rata, quæ hæreticus ſpernit, olympus habet.
Sic quæ nulla fores, potes omnia nomine Petri;
Et poteris, donec vixerit alma fides.

S. Petro Apoſtolo.

QVæritur à Chriſto, quē me mortalia credunt
Pectora? quis vobis teſtibus eſſe putor?
Petrus ad hæc; Tu viua Dei viuentis imago.
Et digna eſt merces reddita Petre tibi.
Os tu voci aperis, quæ lapſa eſt cœlitus; ergo
Qua cœlum pateat, vox tua clauis erit.

Eidem.

TRanat iter Moſes populo comitãte per vndas,
Et mare dat virga percutiente viam.
Suppoſitis tu Chriſte vndis veſtigia figis,
Et figit ſolus te præeunte Petrus.
Sic Petro & Moſi maris eſt non vna poteſtas:
Lex cadit, at fixum ius tibi Petre datur.

Eidem.

HOrruit in Chriſto Petrus execrabile lignum;
Abſit & à Domino crux, ait, iſta meo.
At ſibi cum vidit non iam execrabile lignum
Surgere; Crux, inquit, cur datur æqua mihi?
Vade retro, Dominus mihi dixit; ſubter abibo;
Si caput eſt pedibus ſubdere, ſubter ero.

Eidem.

AEthera conatus Simon penetrare volatu,
Simonis Petri corruit imperio.
Simoni vt Simon præstet, mox indicat idem;
Et sursum erectis astra petit pedibus.

Eidem.

ASTra petit Simon, lapso illinc dæmone vectus;
At petræ magno pondere deuehitur.
Sed si summa etiam tetigisset limina cœli,
Quid faceret, claues dum tenet ipse Petrus?
Labitur infelix, nec mirum, pondere duplo,
Et Petri orantis pondere, & ipse suo.

Eidem.

QVod ter Petre negas, timor est; quod amare rogatus
Ter te ais, hoc fidei pignus Apostolicæ.
Verba timor rapuit turbati pectoris illic,
Hic Dominum testem pectoris ipse vocas.
Tantus amor meruit tibi ter rata præmia soli;
Et ius in terras, ius & in astra dedit.

Eidem.

Eidem.

IN Verbi verbo dum laxas retia Petre,
Venatu impletur tota sagena nouo.
Sola sagena tua est, quæ se dum piscibus implet,
Cœlesti mensæ fercula vera parat.

Eidem.

CRux aptata tibi fixis ad sydera plantis,
Ne par cum Domino crux tibi Petre foret.
Mercedem fert ista sibi reuerentia iustam;
Nam tibi post Christum gloria Petre datur.
Tu mare calcasti; tu nunc super æthera migrans,
Nubibus ascensum ponis & ipse tuum.

Eidem.

IMbre Thesbites precibus negato,
Perfido cœlum populo ligauit.
Imperat iudex, ligat & scelestis
Petrus olympum.
Imbre Thesbites dedit impetrato,
Supplici cœlum populo solutum.
Imperat iudex Petrus, & merenti
Soluit olympum.
Zelus Heliæ dedit arma linguæ,
Zelus & Petro dedit arma linguæ.

Vtitur

Vtitur vates gladio, loquelæ
Fulmine Petrus.
Raptus è terris moriturus ille
Viuit elatus radiante curru.
In crucem Petrus saliens triumphat
Corpore verso.
Ille seductis datus Antichristo
Doctor; hic centum domat Antichristos,
Hæreses vincit, subigit Tyrannos,
Tartara frangit.

Eidem.

ESse negas tibi Petre aurũ, sed munera donas,
Quæ superant auri quot numerantur opes.
Munera das claudo, firma vt vestigia figat;
Et primum hoc Christi nomine fulget opus.
Nempe basis fidei, quò fundamenta locares,
Debebas claudi consolidare bases.

Eidem.

QVod ligat arbitrio, quod soluit Apostolus omnis,
A Domino claues quòd Petrus vnus habet.
Non est hoc, eadem cunctis concessa potestas;
Hoc est, radicis quòd bona ramus habet.

Vna

Vna è radice in ramos vis funditur omnes;
Illa manet, viuo stipite ramus abit.

Eidem.

PRo me, pro te, inquit Christus da Petre staterem;
Et soluit pro se, proque iubente Petrus.
Si duo sunt capita, & censu numerantur eodem;
Cur duo, non vnum dicis vtrumque caput?
Vnius est capitis tota vnum Ecclesia corpus,
Et Christum in Petro dicimus esse caput.

Eidem in dedicationem Aedis Carpinetanæ Petri Card. Aldobrand.

VT caperent turbæ diuini semina verbi,
Christum sola habuit cymba beata Petri.
Vt capiant turbæ diuini semina verbi,
Splendida sacrantur templa dicata Petro.
Felix cymba Petri, felix & nobile templum.
Hæc sua Christus habet, quæ sua Petrus habet.

In eandem.

VNum vnxit lapidem, titulo quem erexit in aram,
Testata vt faceret somnia visa Iacob.
Non

Non lapidem titulo, ſed dat venerabile templum,
Teſtatum vt faciat cor tibi Petre Petrus.
Plena Iacob ſua vota habuit, tu ſumme Sacerdos
Fac, ne vota habeat non rata Petre Petrus.

Domine quò vadis.

MOrtem timebat Petrus,
Spreuitque mortem Petrus.
Spernebat & iactabat,
Timebat & negabat.
Simone deturbato
Senſit Neronis iram;
Et vinculis elapſus,
Ab vrbe ſolus ibat.
Fit obuius repente
Vrbem petenti Chriſto.
Stupet, riget; tremenſque
Quo vadis, inquit, Rabbi?
Eo cruci figendus,
Reſpondit ille, Romam.
Et obſtupenti Petro
Vox hæc fuit crux prima.
Cantante gallo Petrus
Leo timore flebat;
Sed alloquente Chriſto,
Leo leones ſpreuit.

Dicebat ergo secum,
Cruces adibo centum.
Olim mori parato
Mori quidest? triumphus.
Agnus Cruci suffixus
Cur rursus affigatur?
Non agnus affigatur,
Sed Petrus affigatur.
Dari staterem iussit
Communiter soluendum.
Cur ergo fixus ille,
Non sit Petrus confixus?
Figatur ergo Petrus;
Et hic honor sit fixo,
Imaginem suffixi
Referre non erectum.
Imago conditoris
Homo creatus rectus;
Imago Christi Petrus
Sit stando non erectus.

S. Paulo Apostolo.

QVattuor in fluuios fontem diuiserat vnum
Conditor, irriguum quo foret omne solum.
Vt fons tu fidei sis terris omnibus, vnum
Tres fontes Pauli dat tibi Roma caput.

Illius

Illius absorbet terra vndas, fontis at huius
Aeternam in vitam sunt salientis aquæ.

Eidem.

VLtima Paule dedit tibi vox sine pectore Iesum,
Et tres vox fontes ter repetita dedit.
Quis numeret fontes, quot vox dedit ipsa docentis?
Si parerent vndas, obruta terra foret.

Eidem.

FOntes lingua dedit, cũ vox fuit vltima, Iesus,
Edidit & viuos mortua lingua sonos.
Fontes Paule dedit moriens tibi lingua perennes,
Viua quòd æternos dat tibi lingua sonos.
Omnis lingua hominum per te scit dicere Iesum,
Omnibus in linguis vt tua lingua sonet.

Eidem.

BVccinis clangens Aarone natus
Strauit horrendo sine Marte muros.
Vna sed strauit peragrantis Orbem
Buccina totum.
Strauit antiquæ documenta legis,
Strauit excisis simulacra fanis;

Strauit

Strauit æternam, domuitque Christo
Cæsaris Vrbem.
Omnibus nomen dedit illa Iesu;
Omnibus linguis dedit illa Iesum;
Et sonat nunquam tacitura Pauli
Buccina Iesum.
Buccinam frustra sibi Cæsar angit.
Angitur; verum sonat illa Iesum;
Quoque plus vrget Nero, plus dat ore
Buccina Iesum.

Eidem.

QVod lac Paule tibi manarit gutture cæso,
Mater eras, aiunt, lacque salubre dabas.
Quis neget hoc? qui dulce tamen lac Paule dedisti,
Et solidos animo das alimenta cibos.
An quia mane lupus, sero mutatus in agnum,
Quem prius ebiberas, lac modo sanguis erat.

Eidem.

VNus in Euæ aurem stillauit toxica serpens,
Et vim tabificam fudit in omne genus.
Vnica pellendo vox est quæsita veneno,
Quæ foret humanis auribus vna satis.
Illa fuit Paulus; valido qui buccina bombo
Excitat Eoos, excitat Hesperios.

Eidem.

Eidem.

ESse inter socios minimum te Paule fateris;
Sed quo sis minimus nomine, Christus ait.
Esse sinapi, inquit, minimum; at cũ creuerit, arbor
Vna inter frutices altius erigitur.

Eidem.

PRostratus, cum te Christi vox Paule vocabat;
Nunc tibi præcisum ter salit ense caput.
Me tu persequeris, vox tunc tibi reddita, Iesum;
Nunc lingua emoriens ter tibi, Iesus, ait.
Tunc neque tu pastus, neque potus Paule iacebas;
Tres modo das fontes, quos tua Roma bibat.
Et Saulo Paulus tanto discrimine maior,
Sum, clamas, quod sum munere Christe tuo.

In Altare S. Pauli, quod in æde Albana Petrus Card. Aldobrandinus extruxit.

ALba dedit Romę Troiano è sanguine patres,
Romanos contra nunc habet Alba patres.
Et Pętro & Paulo Romana Ecclesia surgit;
Inde sibi Paulum suspicit Alba patrem.


Et quæ mater erat, iam facta est filia Romæ,
Ne dici alterius filia Roma queat.
Quin Paulus colitur donante altaria Petro,
Vt pariter Petrum iactet & Alba suum.

SS. Martyribus Processo & Martiniano.

Tarpeia Custos arcis arcem prodidit,
Pulchro Sabini capta torque militis.
Tarpeia rursus arx nouis custodibus
Commissa vidit se datam, non proditam.
Processus illic, & comes custodiæ
Martinianus ter beati carceris,
Qui detinebant principes Apostolos,
Capti beatis nil negant Apostolis.
Se dant, petuntque quod datum non perditur.
Aurum petebat illa, Christum martyres;
Tradebat illa patrem, vitam martyres;
Admisit hostes illa; vincla martyres
Rumpunt, abire si velint Apostoli.
Perennis illam turpat hæc infamia,
Emundat ortus fons perennis martyres.
O sero natos gloriosos martyres,
Vt Beniaminos inclytis Apostolis.
Si quem senectus fert, parentes diligunt,
Hi cariores iure sunt Apostolis.

IV-

IVLIVS.



In Visitationem B. Virginis.

INclusum inclusus materni carcere ventris,
Infans infantem visere Christus auet.
Nam quod amicitiæ fugiunt commercia grandes,
Implet vterque infans, vir quod vterque fugit.
Cur vero infantes? Verbum hic, vox ille sonora est;
Dant signa officij plenus vterque sui.

In eandem:

PLena Deo montana petis, plenamq. propheta
Visere cognatam regia Virgo cupis.
Et mox tanta tuæ vocis vis extitit, infans
Ex vtero vt Dominum senserit & Dominam.
Reddita vox ergo digna hæc; Salue vna per omne
Fœmina fœmineum tu benedicta genus.

In eandem.

VIseret vt vinctos, mortisque extruderet vmbra,
Sol ex alto oriens venit ad ima Deus.

Dumque suæ monstrat pietatis viscera, visit
Visceribus positus visceribus positum.
Visitur ergo prior, qui vatum est vltimus; ille
Visendis Solem nuntiet vt genitum.

In eandem.

VEnit ad ima Deus, cum tempora plena vocarunt,
Et ventrem impleuit Virgo beata tuum.
Tu montana petis mox plena, & curris ad alta;
Cognato & plenam pignore visis anum.
Sic tu vera Deo scala es cum pondere ventris,
Qua petit ima Deus, qua petit alta Deus.

In eandem.

QVò properas Virgo? quò te tua sarcina ducit?
Quid montana petis plena grauante Deo?
An montana petis, quia carmen montibus aptum;
Texendumque tuo gutture carmen erat?
Dic Age; Magnificat Dominum; dic psaltria carmen.
Nullum isto carmen dulcius insonuit.

In

In eandem.

QVæ sterilis fuerat, nec habendis fructibus apta,
Ventre capit vatem, carmina mente capit.
Mox vt virgineo sibi sensit ab ore salutem,
Incaluit, voces & grauidata dedit.
O benedicta inter muliebris germina sexus,
O benedictum vtero quæ benedicta geris.
Quæ sibi non cuperet sterilem sic fœmina ventrẽ,
Ventre & mente simul dum grauidanda foret?

In eandem.

VI sua magnum petit ima pondus;
Pondus est prægnans vterus puellis.
Vna sed Virgo petit alta ventris
Pondere ducta.
Plena diuini grauitate Verbi
Tendit ad montes properante gressu;
Visit agnatam, sterilique natum
Ventre Ioannem.
Ponderis tanti grauitate pressa,
Se vel ancillam canit illa Verbi:
Mater at Verbi superauit omnes
Pondere cœlos.

Pondus hoc matri geritur, geritque.
Matris hoc ventrem leue pondus implet.
Quid magis Verbo leue? quidue Verbi
Pondere maius?
Pondus hoc nobis leuitate tollit
Criminum pondus: grauitate donat
Pondus æternum, labor vt caducus
Duret in æuum.

In eandem.

FOrma salutantum connectitur vna duorum,
Vt tibi communi fœdere detur, Aue.
Primus, Aue, dixit, tibi quem legauit olympus:
Addidit hinc voces fœmina sancta suas.
Cur silet vnus homo, nec dat tibi Virgo salutem?
Hanc Deus æternam dat tibi factus homo.

Feria 6. Ieiunij Aduentus.

PRæcurrens Domino, præcursor iure vocaris;
Quid ni præsultor, præsiliens Domino?
Saltura latitans latitantem tu vnus adoras,
Et labijs mater fert tua verba suis.
O venerande infans, si saltas matris in aluo,
Quæ sibi maiorem fœmina parturiat?

S.Bo-

S. Bonauenturæ.

QVod Bonauentura latio sis nomine fœlix,
Hoc tibi virtutum præstitit omne genus.
Felix ingenium, mens casto in pectore felix,
Felici currens profluuio calamus.
Denique sors felix; nam omnes qui infecerat Adã,
Non peccasse tamen dicitur ille tibi.

Eidem.

EDitus est Samuel effusa ad vota parentis,
Et Bonauenturam vota parentis habent.
Ille suis Regem, Papam hic dedit arbiter, aiunt:
Ius dedit ille suis, ius dedit iste suis.
Sed Reges oleo Samuel vngebat; hic vngit,
Dum mouet, affectum; dum docet, ingenium.

S. Alexio.

NE sis vna caro cum coniuge, carpis Alexi
Longum iter, & quæris iunctior esse Deo.
Heu qualis quantusque latens sub tegmine vili?
Ipse tuis hospes, sibilus ipse tuis.
Quid mirer, quòd te prodat pia Virginis icon?
Virtus tanta loqui cogeret & lapides.

Eidem.

OMnibus ignotus dum nescit Alexius omnes,
Te scit, & ignotus non fuit ille tibi.
Quin & voce tua iam notus Alexius orbi,
Præconem Virgo te vocat ille suum.
Præmia quæ tandem, quod stemma tulisse putãdus,
Quem Rex Reginæ prædicat officio?

Eidem.

QVi fratres, quæ mater, ait? quicunque parentis
Iussa mei præfert, is mihi mater erit.
Hæc tu Christe quidem; contra sed Alexius, esse
Omnibus ignotus maluit ille suis.
Et famulus Domino similis fit dispare sensu,
Tu tibi Christe tuos, se negat ille suis.

S. Symphorosæ.

SEptem beata liberos
Dat Symphorosa victimas.
Quid ni vocetur septies
Christi sacerdos fœmina?
Non est sacerdos fœmina,
Vt ipsa mactet hostias;

Sed

Sed viua mactans viscera
Datur sacerdos fœmina.
Vnam Sacerdos hostiam
Dat, Symphorosa victimas
Cum liberis bis quatuor;
Octo coronis inclyta.
Martyr magistra liberis,
Et cæsa mortem sentiens,
Tot immolata mortibus,
Quot procreauit liberos.

Eidem.

ESt tibi sat pulchrum, sed non ad carmina nomen
Symphorosa, simul quod tua ferre notat.
Martyris es coniux, tu martyr, pignora septem
Martyres; ergo Deo fers tua iuncta simul.
Primitias alij, tu fœcundissima martyr
Fers te, fers quicquid dicitur esse tuum.

S. Praxedi Virg.

MArtyres vngebat dura ad certamina; cessit
Virgo malis, & se viuere posse negat.
O pia Praxedes, sic vinci est vincere; quando
Mors est nolle mori; viuere, velle mori.

S. Mariæ Magdalenæ.

QVærit amans, vnctum toties vult vngere; præsens
Est quod amat; sed se perdidit illa simul.
Fœmina quid quæris? te primum quærito; Christũ
Agnosces, si te noueris ipsa prius.
Quid mirum, quod habet, si se nõ cernit habentem?
A se diuellit, quæ magis vrget amor.

Eidem.

NOn te paruus amor succrescens fœmina traxit,
Multa sed abstergens crimina multus amor.
Christi multus amor Pharisæi ad prandia traxit,
Multus amor cænam sospite fratre dedit.
Multus amor lachrymas, vnguentaque mystica fudit;
Ad Christi tumulum multus adussit amor.
Vel multus non creuit amor; vel dicere fas est,
Sola quòd in flammis viuere tu poteras.

Eidem.

SYmbola naturam facili certamine mutant;
Nam quæ conueniunt, his quoq. pugna minor.
Fœdus amor, diuinus amor, contraria pugnant;
Symbola nec possunt viribus esse suis.

Pecca-

Peccatrix mulier ſubito mutauit amores.
Vt potuit, quæ non ſymbola prorſus erant?
De corde emanans habet has pia lachryma vires;
Lachryma, baptiſmus mortua reſtituens.

Eidem.

VIm pati cœlum rapientis illud,
Chriſte dicebas, tua ſed tacebas.
Vim pati cœli dominum videmus
Te muliebrem.
Fortis ad menſam mulier cucurrit,
Seque conuiuis ſociauit vltro,
Et pedes ſacros velut arte victrix
Compede vinxit.
Fudit vbertim violenta fletum,
Et comis terſit violenta fuſis,
Et dedit dulci violenta morſu
Oſcula mille.
Vnxit vnguento violenta terno;
Arſit, armauit violenta pectus;
Iudicem flexit violenta ſummum,
Vincula rupit.
Rebus humanis amor eſt tyrannus;
Torſit hunc virtus Mariæ tyrannum,
Crimini extorſit veniam, potenſque
Omnia vicit.

Eidem.

Eidem.

VNxiſti viuum, humatũ vis vngere Ieſum?
Das lachrymas menſæ, das lachrymas tumulo.
Tangere defunctum potuiſti, & tangere viuum;
Sed rediuiuum illum tangere non licuit.
Scilicet arſit amor te ſemper viuus in vna,
Et fieri potuit non rediuiuus amor.

Eidem.

CErnit, & alloquitur præſentem fœmina Chriſtum;
Nec ſe, cum videat, rapta videre videt.
An quia cæcus amor? cæcum ſed Chriſtus amorem
Abſtulit: an quia flet? flens videt illa duos.
An quia cor raptũ, nam cor ſibi Chriſtus habebat,
Et videt, & Chriſtum non videt illa ſimul.

Eidem laſciuius depictæ.

SCribere dum pictor ſpirantem nititur illam,
Septem è qua Chriſtus dæmonas expulerat.
Exprimit antiquam laſciuo in corpore formam,
Non qua poſt lacrymas & pia vota fuit.
Hoc eſt non viuos omnino pingere vultus,
Laſciua eſt Paulo mortua ſi mulier.

Fortis

Fortis est vt mors dilectio.

MOrs, amor, assimili virtute, vt nomine pollent;
Mors fortis, cui non est bene fortis amor?
Mors trahit, ille trahit; mors distrahit, is quoque mentes
Distrahit: hoc etiam fortius vrget amor.
Pallida mors soluit, sed amor vel dissita iungit;
Vniat vtque magis, distrahit ille magis.

Maria stabat ad monumentum.

QVid non cogit amor, si totũ abducit amantem?
Quid non vincit amor, si trahit ille Deum?
Cogit amor Mariam vel nudo hærere sepulcro,
Et flens illa Deum cogit adesse suum.
Vincit amor Mariam, vincit te fœmina Christe;
Sed vinci, vt vincas omnia, te pateris.

Eidem.

ARsit amans mulier, dũ cæcum pasceret ignẽ;
Et nunc diuinis ignibus ardet amans.
Primus amor nunquã lacrymas excussit amanti;
Hic facit, vt lacrymæ fluminis instar eant.
Discite mortales certum hoc discrimen amorum;
Feruet hic, ille timet; soluit hic, ille ligat.

Eidem.

Eidem.

CVrrit amans Petrus, currit ſimul alter amatus;
Mox tam Petrus amans, quã peramatus abit.
Ad tumulum Chriſti lacbrymans pia fœmina perſtat;
Et quam vincit amor, vincere cogit amor.
Vna viros docuit vel amatos, vel peramantes,
Vna viros docuit fœmina, quid ſit amor.

Paulo PP. V. Reſtauratori S. Domus Mulierum pœnitentium.

FLamma libido fera eſt, ſed ſacro extinguitur imbre;
Imbrem dant lachrymæ, quas ſibi corda cient.
Grex eſt fœmineus, qui ſanctis imbribus ignem,
Vt ſibi reſtinguat, frigida tecta ſubit.
Subijcit his dæmon flammarum incendia tectis;
Vt quas flamma nequit perdere, flamma voret.
Extinguis tu Paule nouis hos imbribus ignes;
Et cadit ars auidi dæmonis arte tua.
Tecta iubes iterum miſeris ampliſſima ſurgant,
Victa vt ſit meritis vtraque flamma tuis.

Nam

Nam Veneris flãmas extinguet lacryma, donec
Stabit facta tuis imbribus alma domus.

S. Apollinari.

FIlius es Petri, qui nomen Apolline ductum,
Non aptum ad carmen quod referatur, habes.
Filius es Petri, natus de Principe Princeps,
Filia quò Romæ prima Rauenna foret.
Lumina das cæcis, das mutis verba, phalanges
Lymphato extrudis pectore tartareas.
Tantus es, vt præsul tibi qui succederet, ipse
Legerit vndecies visa columba Deus.
Orta Petro in Petrum tua nunc successio venit;
Filius es Petri, tu pater esto Petro.

Eidem.

NVlla, inquit, poterũt responsa Serapidis esse,
Discipulus Petri ni procul hinc abeat.
At solos homines si stringunt vincula Petri,
Quid tibi cum Petro perfidiose Satan?
Discipulus Petri viua est, ait, vmbra magistri;
Vmbra minor morbos, dæmonas ista fugat.

Eidem.

SVppositas pressit Petrus olim gurgitis vndas,
Suppositas prunas Martyr Apostolicus.

Non

Non est discipulus maior sapiente magistro,
Sed Petrum Petri discipulus superat.
Non is martyr aquis, flãmis hic martyr habendus;
Is mergi incæpit, ridet Apollineus.

Eidem.

F*Onte Rauenna cares, fontem tibi Petrus ab Vrbe*
Transfudit, fontes qui tibi mille daret.
Martyr Apostolicus, non vno vulnere martyr,
Nec tenui felix posteritate parens.
Vulneribus sed mille rubens, magnoq. triumphans
De cœlo lectorum ordine Pontificum.

S. Iacobo Apostolo.

Q*Værit, vt assideant præ cũctis Iudice Christo*
Mater; at hoc nati plus habuere sui.
Alter habet stratum Christi venerabile pectus,
Alter Apostolico stemmate primus obit.

Eidem.

S*I duo Christe tibi Boanerges sunt Zebedæi*
Pignora, iàm voti est compos vterque sui.
Primi esse illi confessorum ad regna petebant;
Tu das, per te illis quod dare posse negas.

Primus

Primus Apoſtolica morte alter, & vltimus alter,
Primas, ſed varia morte tonante, ferunt.

Eidem.

SVpplantator erat, primumque Iacobus honorẽ
Abſtulit, vt maior, qui minor ante, foret.
Mortis apoſtolicæ primum alter ſtemma Iacobus,
Non primus, fuſo ſanguine primus habet.
Illi tota patris ceſſit benedictio; totam
Hic habet, & totam fratribus ire ſinit.
Non venator apri, tonitru ſed fulgura vibrans
Et Solymam luſtrat, luſtrat & Heſperiam.

Eidem.

PRimus vt aſſeſſor fieres, materna rogabant
Viſcera; nec fudit perdita vota parens.
Primus tu calicem moriens Iacobe bibiſti,
Ipſe propinauit quem ſocijs Dominus.
Hoc tanto eſt maius, quanto pro nomine Ieſu
Plus eſt poſſe pati, quam ſibi poſſe frui.

S. Apollinari.

AEgyptijs Apoſtolum
Euangeliſtam miſerat,
Magnis Leonem viribus,
Apoſtolorum maximus.

S *Aequis*

Aequis leonem viribus
Dedit Rauennæ præsulem,
Apollinarem gloriæ
Apostolorum supparem.
Marcus fugauit dæmonas,
Hoc & Rauennas præstitit.
Marcus magister martyrum,
Et hic magister martyrum.
Marci rugitu territus
Se se Serapis abdidit.
Apollinaris nomine
Vocem Serapis perdidit.
Vterque Petri filius,
Vterque sedem condidit
Romæ parentis filiam
Excelsiori vertice.
Sed illa vix iam cernitur,
Attollit hæc se fortius,
Fundata Petro principe,
Nunc clara Petro antistite.

S. Annæ.

SI felix, peperit quæ optatam fœmina prolem;
Quàm felix, cui spes perdita prolis erat?
Illa magis felix, monitu quæ cælite gignit;
Plus ea, promissa quæ nouitate parit.

Vlti-

Vltimus hic gradus est, quẽ tangere fœmina posset.
Addidit immensi nominis Anna gradum.
Symbola quam veterum, quam fixa oracula vatũ
Cuncta notant, Mariam cœlitus Anna tulit.
Omnia subsistunt ipsum tangentia centrum;
Filia si centrum est, hoc quoque mater erit.

Eidem.

ANna parens Mariæ; capit hoc, capit omnia nomen;
Et nihil est, addi quod queat ad Mariam.
Anna parens Mariæ; nihil est, quod cætera dicas;
Omnia si referas, inferiora refers.
Anna parens Mariæ; non hinc solũ omnia vincit;
Anna nouo titulo se quoque maior erit.
Cum Mariam peperit, natam super omnia fudit,
Illa matre Dei, mamma fit Anna Dei.

Eidem.

DIgnoscenda suis Anna est si fructibus arbor,
Qualis de fructu Virginis arbor eris?
Si mulier fortis ceu nauis pabula portat,
Qualia tu portans pabula nauis eris?
Nobilitate virum si donat fœmina fortis,
Anna, tibi quantus vir Ioachimus erit?

Non arbor, non nauis eris, non nobilis vxor,
Sed Diua, & cœlum, fonsque decoris eris.

Eidem.

SI qua fuit sterilis, cœli qu e munere partum
Ediderit, sexum protulit illa marem.
Non est Anna tibi sterili data mascula proles,
Sed data quæ titulum Virginitatis habet.
Et læta exclamas; tanti est mea filia, quanti
Res est, quæ potuit sola præesse Deo.

Eidem.

SOlis sancta potest si nosci è fructibus arbor;
Dicenda è fructu qualis es Anna tuo?
Si mulier fortis, vincit tua filia sexum;
Si Diua, & Diuis sanctior illa fuit.
At quid ego quæro, quod dem tibi nobile nomen,
Mammam dicebat si puer ipse Deus?

S. Pantaleoni Mart.

NOn tibi Pantaleon, sed Panteleemonis esse
Nomen siderea Christus ab arce iubet.
Inclyte, curari qui corpora posse negabas,
Ni curata prius mens male sana foret.
Hæc hominem curant, aiebas, pharmaca verum;
Curari pellem sed docet Hippocrates.

S.Mar-

S. Marthæ.

HOſpes Martha tibi ſit Chriſtus de hoſpite iudex,
Cura miniſtrandi ne tua tota foret.
Non pro te iudex, iudex pro te ille ſedebit,
Mercedem hoſpitij cum tibi Martha dabit.
Et pro te iudex cum non pronuntiat ille,
Non Martham reprobat, ſed meliora probat.

AVGVSTVS.



S. Petro ad Vincula.

CVi ius omne datum pro libertate fruenda,
Ipſe ſibi ſcelerum vincula nectit homo.
Magnus honor Petri, qui vincula ſoluere iuſſus,
Vincula fert manibus, vincula fert pedibus.
Vincula fert Petrus, ſcelerum ſed vincula ſoluit,
Et vim ſoluendi vincla ligatus habet.

Eidem.

VIſa videt cęlo demiſſa ſindone Petrus,
Vt mactanda ſibi beſtia quæque foret.

Visa videre sibi Petrus post Pascha videtur,
Mactatum cuperet cum Synagoga Petrum.
Visa salutis habet nunquam fallentia Petrus;
Et Petri vmbra fugax, vmbra salutis erat.

Eidem.

NOxia quod fuerint soluenti vincula, fiunt
Ipsa nouo nexu vincula vincla sibi.
Sed tantus cui cedit honos? tibi debitus vni
Petre datur, cœlo qui dare vincla potes.
Quis te Petre neget soluentem, siue ligantem?
Vincla ligant alios, tu tua vincla ligas.

Eidem.

VIncula soluentem (quis credat?) vincula cingunt;
Quique ligat mentes, hunc duo vincla ligant.
Dormit at Herodis vincla inter ferrea Petrus,
Et soluit vinclis membra ligata sopor.
Hæc tua vis Petre est, te nulla vt vincula cogant,
Sed quos ipse ligas, & Deus ipse liget.

Eidem.

IMmotam fidei petram quis compede vinxit?
Se ligat, hanc quisquis posse ligare putat.

Eidem.

Eidem.

QVas dedit Herodes binas tibi Petre catenas,
Sponte illæ manibus mox cecidere tuis.
Quippe super terram fas nulli est soluere Petrum,
Omnia qui solus soluere vincla potest.
Clamat & aligero misso indignatus olympus;
Qui das vincla mihi, cur Petre vincla tenes?

Eidem.

CVm violenta foret Christo mors proxima, Petrus
Dormijt, & dormit proximus ipse suæ.
Tunc Petrus euigilans Christum se nosse negauit,
Nunc populis Christum prædicat euigilans.
Quam Petrus a Petro differt? prior ille pauoris
Somnus, posterior totus amoris erat.

Eidem.

VIncula te Solymis, te ferrea vincula Romæ
Petre ligant; Romæ sed data vincla tenes.
Vincla tenes, quæ Roma dedit, quã crimine soluis;
Quæ dat Iudæus vincula, restituis.
Vtraque nectuntur tandem tua vincula Romæ,
Omnia quod per te soluere Roma potest.

Eidem.

PEtrus, Ioannes, qui ſimul cucurrerant;
Simul petebant limen ædis maximæ.
Templi iacebat ad fores pauperculus,
Cogendo ſtipem: cui Petrus; non ſuppetit
Argentum & aurum; Do tibi quod ſuppetit.
In Nazareni ſurge Ieſu nomine.
Et ſurgit ille vi tremendi nominis.
Viden, Petrus quid à Petro iam differat?
Ancilla nuper intuens hunc ſtrauerat;
Nunc ipſe claudis intuens dat ſurgere.

Eidem.

IVnior Petrus ſibi membra cinxit;
Cinctus eſt Petrus ſenior Tyranno;
Cinxit Herodes medio catenis
Tempore Petrum.
Se Petrus cinxit capiendo prædam,
Captus & cinctus Crucis ad triumphum;
Cinctus Herodis ſtudio catenis,
Luſit habentem.
Sponte piſcator ſibi cinxit artus,
Vincla non rupit peramata martyr,
Sed feri Regis violenta Petrus
Vincula ponit.

Aut

Aut Petrum Christus ligat, aut egestas.
Non potest vinclis hominum ligari,
Sed ligat cœlos, ligat ille terras,
Soluit & vnus.

In Stigmata S. Francisci.

DAt Virgo Francisce rosas, dat stigmata Christus.
E xenijs vtrum carius esse putem?
Stigmata corpus habet, rosa fixit spicula cordi;
Quis potiora neget vulnera ferre rosas?

In Macchabæorum Matrem.

DIscite quis sit amor, quæ matrum viscera, matres.
Exemplo Hebræa est fœmina danda nouo.
Septem quos genuit, dedit ipsa ad funera natos.
Dat mihi mors, inquit, pignora, non adimit.
Quo Salomona vocem digno te nomine? vincis
Regum iras, matrum viscera, corda virum.

In Inuentionem S. Stephani.

DElituit Stephanus vili tumulatus arena,
Quẽ sibi vt exciperet, ruptus olympus erat.
Cur Solymi teneant, inquit, quem optauit olympus?
Cur iacet indignè gloria martyrij?

Vel

Vel Stephanus cælum penetret, cum carne triumphans;
Vel Roma ossa tegat, dum data restituat.

S. Dominico.

ORe facem catulus præferre Dominice visus,
Ardentes toto disijcis orbe faces.
Fax tu orbi factus, fax qui tua castra sequuntur,
Flammigeri ignito pectoris eloquio.
Conflagraturus per te conflagret vt Orbis,
Nunc sæpè vt viuat, tunc semel vt pereat.

Eidem.

SI caret & natus cognata luce catellus,
Nondum tu natus cur geris ore facem?
Fers lucem qui luce cares? an lumine plenos
Domnice debebas tu generare canes.
Nox cæca est, sacrumque lupi per ouile vagantur,
Et vult lucigenas illud habere canes.

Eidem.

VIrginibus lampas, tibi fax est Domnice; Virgo
Qui simul, & belli symbola sacra geris.
Scilicet hæreticas non ferro tu impetis arces,
Sed tua fax illas vertit & in cineres.

Et dum Christus ait, venisse vt mitteret ignem,
Illum credo tuam significasse facem.

Eidem.

VVlpibus ad caudã Sampson aptauerat ignes;
Domnice cum catulis tu geris ore facem.
Absumpsit Sampson segetes, tu vindice flamma
Absumis lolium, quod serit arte Satan.
Et semel irato Sampsoni hæc gloria cessit.
At tua per catulos crescit eundo tuos.
Vnica fax Thomæ flammas diffundit in orbem,
Et cremat inspersum seminibus lolium.

S. Mariæ ad Niues.

Νὺξ ὅτ' ἔην καὶ κρυμὸς ἀμετρτάδος ἔνποτε γαίῃ,
Θνητοῖσιν Μαρίη πῦρ τέκες οὐράνιον.
Νῦν δ' ὅτε φλογμὸς ὅλην ἀπεμάξατο ἰκμάδα γαίης,
Πάνδροσον ὀμβρίζεις οὐρανόθεν χιόνα.
Πάντων μέζον ἔφυσθα μεσίτρια, παρθενονύμφη,
Πλουτοδότειρ' ἀγαθῶν, πανδαμάτειρα νόσων.

Idem è Græco.

CVm nimio scelerum torperet frigore tellus,
Enixa est ignem Virgo salutiferum.
At cum Sol nimio tellurem decoquit æstu,
Ecce tibi insolito Roma dat imbre niuem.

Facta

Facta modus rerum sic temperat omnia Virgo,
Et mediatricem se probat & medicam.

Eidem.

V*Enit in Aegyptum nubes vt candida, Romam*
Nix facta hęc eadem candida Virgo petit.
Imbre suo pharias attingere noluit oras,
Romanum grauidat nix pietate solum.
Et niue templa notat. Felix ò Roma, madebas
Sanguine, sed niueam te pia Virgo facit.

Eidem.

H*Aeres esse hominum vis ò Regina piorum,*
Nixque cadit studij nuntia certa tui.
Redditur ista tuis planè impar gratia factis,
Hæres cum Christo quæ facis vt sit homo.
Quid tibi reddat homo, cui semper reddere grates
Maternum ob meritum debet & ipse Deus?

Eidem.

V*Idit Hebræus sibi manna lapsum*
Mentis ad votum male murmurantis.
Mentis ad votum bene supplicantis
Nix cadit vrbi.
Illud ignoto fuit imbre missum,
Panis è cœlo, cibus Angelorum.

Nix

Nix datur Romæ peregrinus imber,
Dum leo feruet.
Manna diuinæ fuit vmbra carnis,
Quam tulit Virgo grauidata Verbo.
Nix figurauit spatium struendæ
Virginis ædi.
Manna sed murmur peperit secundum
Gentis infidæ; niue surgit ædes,
Splendor æternæ venerandus Vrbi,
Nomine Maior.
Hic vbi Lucæ digitis imago
Picta Reginæ pia corda lactat.
Hic vbi Virgo meritos honores
Vndique carpit.
Et Sacerdotum colitur Senatu,
Et refulgentis grauitate templi,
Et salutantis populi recuruis
Cruribus vnda.

Eidem.

TEmpla locanda iubes, vbi nix in vertice montis;
Nix, cum phœbæis ignibus ardet humus.
Scilicet hoc tibi vis, in te quod cernimus actum,
Dum Virgo è cunctis millibus eligeris.

Tu

Tu nix labe carens; tu mons monte altior omni;
Facta Dei templum tu tibi templa petis.

Eidem.

TEmpora qui fecit vario currentia motu,
Distincta hæc voluit viribus esse suis.
Bruma niues, flores ver, poma autumnus & æstas;
Nunc te fert æstas Virgo iubente niues.
Quod natura negat, tua Virgo potentia cogit;
Natura vt dominam te sciat esse suam.

Eidem.

QVam das Virgo niuem, nix est non frigore nata,
Sed quam vi nimia densat amantis amor.
Munera tu nunquam de cœlo frigida mittis;
Nix quoque quam mittis, feruet amore suo.
Omnia cogit amor; si Sol nunc omnia soluit,
Est quoque qui feruens omnia cogit amor.

Eidem.

OMnia naturæ per te Regina nouantur
Iura; tibi cedunt iura vel ipsa Dei.
Nix fugit æstiuos naturæ ob iura calores;
Non fugit, imperio cedat vt illa tuo.

Tar-

Tartarei fugiant per te nos Virgo calores;
Cedat vt imperio flammaque nixque tuo.

Eidem.

AREa si madidum tenuit non humida Vellus,
Prodigium certe maius in Vrbe datur.
Nix cadit in collem, dum Roma caloribus ardet.
Amplius hoc, quò nix altius excutitur.
Illud adumbrabat secretum in Virgine partum;
Nix templi est partus buccina Virginei.

In augustissimum B. Virginis Sacellum à Summo Pontifice Paulo V. extructum ad Basilicam S. Mariæ Maioris.

IVsserat augustum Virgo sibi surgere templum,
Dum niuis æstiuæ tam noua signa daret.
Addita nunc templo miramur templa superbo,
Munere Xyste tuo, munere Paule tuo.
Læua tamen Xystus, Paulus dat munera dextra;
Hæc quibus inuideat splendor Olympe tuus.
Auspicijs impleta tuis oracula vatum,
Quæ non mirari secula Paule queant?

Cerni-

Cernimus vt matrẽ amplexetur dextera Christi,
Nigra vt formosæ fulgeat effigies.
Cedat Paule tibi Salomonis gloria Regis,
Sancta hæc Sanctorum sanctior arca tenet.

In Columnam marmoream ex reliquijs vetustissimi Templi Pacis ante Basilicam S. Mariæ Maioris erectam à Paulo V. P. M.

PAcis ad æternum, quam ficto nomine, templum
Fulsi marmoreum fixa columna tholum.
Virginis æternæ sacro nunc pondere pressa,
Plus ego quam mundi grandia fulcra fero.
Omnia fert Verbum, Virgo fert cuncta ferentem,
Ipsa fero Diuam; quid grauiora petis?
Præstitit hoc Diuæ Pauli sapientia Quinti,
Virginis æterno dum studet obsequio.

In eandem.

IGnea fax instar solidæ fabrefacta columnæ,
Pelleret vt noctem, Dux fuit Isacidis.
Hic ego fixa faces simul Orbi præfero binas,
Iustitiæ Solem Virginis in gremio.

Nulla

Nulla igitur noctis, nulla est optanda diei
Lampas, iter tutum lux geminata dabit.
Cedito lux luci, mihi cede columna Columnæ,
Et Moses Paulo Dux bone cede duci.

In Transfigurationem Domini.

SOl ex alto oriens, Sol splenduit ortus ab imo;
Hinc sed & hinc oriens, Sol tamen vnus erat.
Luminis vt fontem quid se vnum iactat olympus?
Accipit è terris lumen & ipse nouum.
Sol quoque dat radios, cursu dum circuit Orbem;
At Sol hic Soles efficit innumeros.

In eandem.

DVm te Christe paras dura ad certamina mortis,
Corporis ostendis, non Deitatis opes.
Fit ceu Sol facies, ceu nix fit candida vestis;
Luminibus poterat gloria quanta capi.
Vt Petrus dum ostensa probat spectacula, nosset,
Optata hæc homini præmia morte dari.

In eandem.

ALtera non alium, sed verum gloria Solem
Monstrat, qui radios detque trahatq. suos.

Scilicet esse tuos iussisti Christe lucernas,
Et noctis tenebras vndique mundus habet.
Non sat erant tenebris illæ sine Sole fugandis;
Sol igitur, noctem qui fuget, ipse venis.

In eandem.

FVdit vt Titan radios potentes,
Luce demersum latet omne lumen.
Transfigurato radiante Christo
Sol latet ipse.
Emicat Christus rutilante vultu,
Dum volat cursu Phaethon diurno,
Sol vt ad Solis iubar enitentis
Sit tenebrosus.
Quippe lux lucet tenebris fugandis;
Sole si Christus radiante lucet,
Tanta vis Soli fuit emicanti,
Quanta tenebris.
At quid effundens erit omne lumen,
Luce si Phœbus tenebrescit illa,
Quam suis fundit, moderando lippis
Fulgura Christus?
Christus æterna Deitate fulgens,
Fulget & sumpta nouitate carnis,
Gloriæ splendor Patris, & beati
Splendor olympi.

S. Xysto II. PP. & Martyri.

CVm ferus ad mortẽ raperet te Xyste satelles,
Vtque ouis ad sacram pertraherere necem.
Posthabitum questus tunc se Laurentius, infit,
Cur sine me properas Papa beate mori?
Tu contra; non te mœrentem ego desero fili,
Sed mala pro Christo te grauiora manent.
En quæ alter quærit, quæ alter solatia præstat;
En vitam quanti Martyr vterque facit.
Sic te Xyste Dei stultum sapientia fecit,
Surgeret vt grano te pretiosa seges.

S. Laurentio.

AGnus vt ipse fores nimijs Christe ignibus assus,
Fecit amor, noster dum cibus esse cupis.
En tibi nunc assus lento Laurentius igni
Fit cibus, assa adeo si placet esca tibi.
Quid gustãda offers Laurenti membra Tyranno?
Et Christo, & Satanæ non placet vna caro.

Eidem.

SI dum friget amor, nihil est se tradere flãmis;
Ecquid erit, tota dum face feruet amor?

Ardet amore suo plus quam Laurentius igni;
Et perit à flammæ principe flamma minor.
Dum mihi feruet amor, nihil est me tradere flãmis,
Inquit, & hoc titulo bis quoque Martyr ero.

Eidem.

STernitur vrendus lento Laurentius igni;
Nec quod lentus erat, mitior ignis erat.
Lentus erat, duplo sed erat violentior ignis;
Quò mors lenta magis, quò mage creuit amor.
Viui lento igni crescebant pectoris ignes;
Et non vna venit mors, vbi lenta venit.
Omnia longa habuit lento Laurentius igni,
Omnia nunc latè præmia lætus habet.

Eidem.

VIdit vt appositam cratem Laurẽtius, inquit;
Hæc mala Xyste mihi tu grauiora vocas?
Has ego delicias, hæc lectisternia quæro;
Christo hic assatus gratior agnus ero.
Ille Cruci infixus, proprijs est ignibus assus;
His ego decumbens ignibus assus ero.

Eidem.

THesauros expẽdi, inquit, Cur ipse relinquor?
Dic age Laurenti, iusta querela tua est?

Cum

Cum sis thesaurus longe pretiosior ipse,
Insumptos omnes cur ais esse tibi?
Expendes omnes, vbi te consumpseris igni.
Tunc liber curis omnibus astra pete.

Eidem.

PIsce triumphatam post mortem vescitur asso,
Et Christus se hominem, qui fuit ante, docet.
Sternitur ergo tibi Laurenti ferrea crates,
Vt totus Christo gratior esca fores.
Te prius interior iam tostum fecerat ignis,
Bis coctum exterior te modo flamma facit.

In lapidem adipe S.Laurentij Martyris imbutum.

SVppositum capiti lapidem sacro vnxit oliuo,
Somnia miratus prodigiosa Iacob.
Non oleo lapidem victor Laurentius vnxit,
Sed pingui effluuio, quod dedit assus adeps.
Nec lapidem erexit, cupiens solatia vitæ;
Sed moriens flamma, verbere, carceribus.
Vnctus vterque lapis, titulus virtutis vterque;
Vitam illa vt peteret, poneret ista suam.

Dum trahis, attraheris; nã ni trahereris, olympus
Totus amore tui tractus ad ima foret.

In eandem.

ESse triumphantem licuit tibi fęmina nunquã;
Ecce triumphatrix Virgo superna petit.
Non nisi deuicto fiebat ab hoste triumphus;
Quos sibi deuictos iste triumphus agit?
Binæ quæ præeunt, mors, & corruptio, vinctæ;
Vna illas poterat vincere Virginitas.

In eandem.

VIrginis æternæ bustum quid quæritis, illud
Si mortis, vitæ si locus illa fuit?
An locus esse loco poterit? sed si amplior alter;
Et mortem & tumulum, dic, pia Virgo vorat.

In eandem.

SOluitur in cineres compactum è puluere corpus,
Et redit in partes massa coacta suas.
Virginitas cœlo delapsa in Virginis artus
Transijt, hanc verti quis putet in cineres?
Sic quò Virginitas, illuc & Virgo volauit;
Quodque dedit terris, rursus olympus habet.

In eandem.

INferis merſi periere viui,
Qui Deo carum populum ſciderunt.
Ergo quæ ſummis ſociauit ima,
Viua triumphat.
Seruat illæſum Paradiſus Henoch,
Viuus vt præco domet Antichriſtum.
Ergo quæ cunctos domat Antichriſtos,
Viua triumphat.
Igneo raptus petit alta curru
Viuus Helias, moriturus olim.
Ergo quæ ſcandit rapiente Chriſto,
Viua triumphat.
Neſcit internam benedicta mortem,
Frangit externam ſuperando mortem.
Ergo proſternens vtriuſque vires,
Viua triumphat.

In eandem.

COetus Apoſtolicus Chriſto moriente fugatur,
Attamen ad funus Virginis ille volat.
Et cum Chriſte, trahã moriens ad me omnia, dicas;
Vna tamen moriens omnia Virgo trahit.
Matris honor pluris Chriſto eſt, quã gloria Chriſti;
Nec matri negat hoc, quod negat ipſe ſibi.

Epita-

Vel Stephanus cælum penetret, cum carne triumphans;
Vel Roma ossa tegat, dum data restituat.

S. Dominico.

ORe facem catulus præferre Dominice visus,
Ardentes toto disijcis orbe faces.
Fax tu orbi factus, fax qui tua castra sequuntur,
Flammigeri ignito pectoris eloquio.
Conflagraturus per te conflagret vt Orbis,
Nunc sæpè vt viuat, tunc semel vt pereat.

Eidem.

SI caret & natus cognata luce catellus,
Nondum tu natus cur geris ore facem?
Fers lucem qui luce cares? an lumine plenos
Domnice debebas tu generare canes.
Nox cæca est, sacrumque lupi per ouile vagantur,
Et vult lucigenas illud habere canes.

Eidem.

VIrginibus lampas, tibi fax est Domnice; Virgo
Qui simul, & belli symbola sacra geris.
Scilicet hæreticas non ferro tu impetis arces,
Sed tua fax illas vertit & in cineres.

Et

Et dum Christus ait, venisse vt mitteret ignem,
Illum credo tuam significasse facem.

Eidem.

VVlpibus ad caudã Sampson aptauerat ignes;
Domnice cum catulis tu geris ore facem.
Absumpsit Sampson segetes, tu vindice flamma
Absumis lolium, quod serit arte Satan.
Et semel irato Sampsoni hæc gloria cessit.
At tua per catulos crescit eundo tuos.
Vnica fax Thomæ flammas diffundit in orbem,
Et cremat inspersum seminibus lolium.

S. Mariæ ad Niues.

Νὺξ ὅτ᾽ ἔην καὶ κρυμὸς ἀμετράδος ἔνποτε γαίῃ,
Θνητοῖσιν Μαρίη πῦρ τέκες οὐράνιον.
Νῦν δ᾽ ὅτε φλογμὸς ὅλην ἀπεμάξατο ἰκμάδα γαίης,
Πάνδροσον ὀμβρίζεις οὐρανόθεν χιόνα.
Πάντων μεῖζον ἔφυσθα μεσίτρια, παρθενονύμφη,
Πλουτοδότειρ᾽ ἀγαθῶν, πανδαμάτειρα νόσων.

Idem è Græco.

CVm nimio scelerum torperet frigore tellus,
Enixa est ignem Virgo salutiferum.
At cum Sol nimio tellurem decoquit æstu,
Ecce tibi insolito Roma dat imbre niuem.

Facta modus rerum sic temperat omnia Virgo,
Et mediatricem se probat & medicam.

Eidem.

VEnit in Aegyptum nubes vt candida, Romam
Nix facta hęc eadem candida Virgo petit.
Imbre suo pharias attingere noluit oras,
Romanum grauidat nix pietate solum.
Et niue templa notat. Felix ò Roma, madebas
Sanguine, sed niueam te pia Virgo facit.

Eidem.

HAeres esse hominum vis ò Regina piorum,
Nixque cadit studij nuntia certa tui.
Redditur ista tuis planè impar gratia factis,
Hæres cum Christo quæ facis vt sit homo.
Quid tibi reddat homo, cui semper reddere grates
Maternum ob meritum debet & ipse Deus?

Eidem.

VIdit Hebræus sibi manna lapsum
Mentis ad votum male murmurantis.
Mentis ad votum bene supplicantis
Nix cadit vrbi.
Illud ignoto fuit imbre missum,
Panis è cœlo, cibus Angelorum.

Nix datur Romæ peregrinus imber,
Dum leo feruet.
Manna diuinæ fuit vmbra carnis,
Quam tulit Virgo grauidata Verbo.
Nix figurauit ſpatium ſtruendæ
Virginis ædi.
Manna ſed murmur peperit ſecundum
Gentis infidæ; niue ſurgit ædes,
Splendor æternæ venerandus Vrbi,
Nomine Maior.
Hic vbi Lucæ digitis imago
Picta Reginæ pia corda lactat.
Hic vbi Virgo meritos honores
Vndique carpit.
Et Sacerdotum colitur Senatu,
Et refulgentis grauitate templi,
Et ſalutantis populi recuruis
Cruribus vnda.

Eidem.

TEmpla locanda iubes, vbi nix in vertice montis;
Nix, cum phœbæis ignibus ardet humus.
Scilicet hoc tibi vis, in te quod cernimus actum,
Dum Virgo è cunctis millibus eligeris.

Tu

Tu nix labe carens; tu mons monte altior omni;
Facta Dei templum tu tibi templa petis.

Eidem.

TEmpora qui fecit vario currentia motu,
Distincta hæc voluit viribus esse suis.
Bruma niues, flores ver, poma autumnus & æstas;
Nunc te fert æstas Virgo iubente niues.
Quod natura negat, tua Virgo potentia cogit;
Natura vt dominam te sciat esse suam.

Eidem.

QVam das Virgo niuem, nix est non frigore nata,
Sed quam vi nimia densat amantis amor.
Munera tu nunquam de cœlo frigida mittis;
Nix quoque quam mittis, feruet amore suo.
Omnia cogit amor; si Sol nunc omnia soluit,
Est quoque qui feruens omnia cogit amor.

Eidem.

OMnia naturæ per te Regina nouantur
Iura; tibi cedunt iura vel ipsa Dei.
Nix fugit æstiuos naturæ ob iura calores;
Non fugit, imperio cedat vt illa tuo.

Tar-

Tartarei fugiant per te nos Virgo calores;
Cedat vt imperio flammaque nixque tuo.

Eidem.

ARea si madidum tenuit non humida Vellus,
Prodigium certè maius in Vrbe datur.
Nix cadit in collem, dum Roma caloribus ardet.
Amplius hoc, quò nix altius excutitur.
Illud adumbrabat secretum in Virgine partum;
Nix templi est partus buccina Virginei.

In augustissimum B. Virginis Sacellum à Summo Pontifice Paulo V. extructum ad Basilicam S. Mariæ Maioris.

IVsserat augustum Virgo sibi surgere templum,
Dum niuis æstiuæ tam noua signa daret.
Addita nunc templo miramur templa superbo,
Munere Xyste tuo, munere Paule tuo.
Læua tamen Xystus, Paulus dat munera dextra;
Hæc quibus inuideat splendor Olympe tuus.
Auspicijs impleta tuis oracula vatum,
Quæ non mirari secula Paule queant?

Cerni-

Cernimus vt matrē amplexetur dextera Christi,
Nigra vt formosæ fulgeat effigies.
Cedat Paule tibi Salomonis gloria Regis,
Sancta hæc Sanctorum sanctior arca tenet.

In Columnam marmoream ex reliquijs vetustissimi Templi Pacis ante Basilicam S. Mariæ Maioris erectam à Paulo V. P. M.

PAcis ad æternum, quam ficto nomine, templum
Fulsi marmoreum fixa columna tholum.
Virginis æternæ sacro nunc pondere pressa,
Plus ego quam mundi grandia fulcra fero.
Omnia fert Verbum, Virgo fert cuncta ferentem,
Ipsa fero Diuam; quid grauiora petis?
Præstitit hoc Diuæ Pauli sapientia Quinti,
Virginis æterno dum studet obsequio.

In eandem.

IGnea fax instar solidæ fabrefacta columnæ,
Pelleret vt noctem, Dux fuit Isacidis.
Hic ego fixa faces simul Orbi præfero binas,
Iustitiæ Solem Virginis in gremio.

Nulla

Nulla igitur noctis, nulla est optanda diei
Lampas, iter tutum lux geminata dabit.
Cedito lux luci, mihi cede columna Columnæ,
Et Moses Paulo Dux bone cede duci.

In Transfigurationem Domini.

SOl ex alto oriens, Sol splenduit ortus ab imo;
Hinc sed & hinc oriens, Sol tamen vnus erat.
Luminis vt fontem quid se vnum iactat olympus?
Accipit è terris lumen & ipse nouum.
Sol quoque dat radios, cursu dum circuit Orbem;
At Sol hic Soles efficit innumeros.

In eandem.

DVm te Christe paras dura ad certamina mortis,
Corporis ostendis, non Deitatis opes.
Fit ceu Sol facies, ceu nix fit candida vestis;
Luminibus poterat gloria quanta capi.
Vt Petrus dum ostensa probat spectacula, nosset,
Optata hæc homini præmia morte dari.

In eandem.

ALtera non alium, sed verum gloria Solem
Monstrat, qui radios detque trahatq. suos.

Scilicet esse tuos iussisti Christe lucernas,
Et noctis tenebras vndique mundus habet.
Non sat erant tenebris illæ sine Sole fugandis;
Sol igitur, noctem qui fuget, ipse venis.

In eandem.

FVdit vt Titan radios potentes,
Luce demersum latet omne lumen.
Transfigurato radiante Christo
Sol latet ipse.
Emicat Christus rutilante vultu,
Dum volat cursu Phaethon diurno,
Sol vt ad Solis iubar enitentis
Sit tenebrosus.
Quippe lux lucet tenebris fugandis;
Sole si Christus radiante lucet,
Tanta vis Soli fuit emicanti,
Quanta tenebris.
At quid effundens erit omne lumen,
Luce si Phœbus tenebrescit illa,
Quam suis fundit, moderando lippis
Fulgura Christus?
Christus æterna Deitate fulgens,
Fulget & sumpta nouitate carnis,
Gloriæ splendor Patris, & beati
Splendor olympi.

S. Xy-

S. Xysto II. PP. & Martyri.

CVm ferus ad mortẽ raperet te Xyſte ſatelles,
Vtque ouis ad ſacram pertraherere necem.
Poſthabitum queſtus tunc ſe Laurentius, inſit,
Cur ſine me properas Papa beate mori?
Tu contra; non te mœrentem ego deſero fili,
Sed mala pro Chriſto te grauiora manent.
En quæ alter quærit, quæ alter ſolatia præſtat;
En vitam quanti Martyr vterque facit.
Sic te Xyſte Dei ſtultum ſapientia fecit,
Surgeret vt grano te pretioſa ſeges.

S. Laurentio.

AGnus vt ipſe fores nimijs Chriſte ignibus aſſus,
Fecit amor, noſter dum cibus eſſe cupis.
En tibi nunc aſſus lento Laurentius igni
Fit cibus, aſſa adeo ſi placet eſca tibi.
Quid guſtãda offers Laurenti membra Tyranno?
Et Chriſto, & Satanæ non placet vna caro.

Eidem.

SI dum friget amor, nihil eſt ſe tradere flãmis;
Ecquid erit, tota dum face feruet amor?

Ardet amore ſuo plus quam Laurentius igni;
Et perit à flamma principe flamma minor.
Dum mihi feruet amor, nihil eſt me tradere flãmis,
Inquit, & hoc titulo bis quoque Martyr ero.

Eidem.

STernitur vrendus lento Laurentius igni;
Nec quod lentus erat, mitior ignis erat.
Lentus erat, duplo ſed erat violentior ignis;
Quò mors lenta magis, quò mage creuit amor.
Viui lento igni creſcebant pectoris ignes;
Et non vna venit mors, vbi lenta venit.
Omnia longa habuit lento Laurentius igni,
Omnia nunc latè præmia lætus habet.

Eidem.

VIdit vt appoſitam cratem Laurẽtius, inquit;
Hæc mala Xyſte mihi tu grauiora vocas?
Has ego delicias, hæc lectiſternia quæro;
Chriſto hic aſſatus gratior agnus ero.
Ille Cruci infixus, proprijs eſt ignibus aſſus;
His ego decumbens ignibus aſſus ero.

Eidem.

THeſauros expẽdi, inquit, Cur ipſe relinquor?
Dic age Laurenti, iuſta querela tua eſt?

Cum ſis theſaurus longe pretioſior ipſe,
Inſumptos omnes cur ais eſſe tibi?
Expendes omnes, vbi te conſumpſeris igni.
Tunc liber curis omnibus aſtra pete.

Eidem.

PIſce triumphatam poſt mortem veſcitur aſſo,
Et Chriſtus ſe hominem, qui fuit ante, docet.
Sternitur ergo tibi Laurenti ferrea crates,
Vt totus Chriſto gratior eſca fores.
Te prius interior iam toſtum fecerat ignis,
Bis coctum exterior te modo flamma facit.

In lapidem adipe S. Laurentij Martyris imbutum.

SVppoſitum capiti lapidem ſacro vnxit oliuo,
Somnia miratus prodigioſa Iacob.
Non oleo lapidem victor Laurentius vnxit,
Sed pingui effluuio, quod dedit aſſus adeps.
Nec lapidem erexit, cupiens ſolatia vitæ;
Sed moriens flamma, verbere, carceribus.
Vnctus vterque lapis, titulus virtutis vterque;
Vitam illa vt peteret, poneret iſta ſuam.

Eidem.

ET cadit in terram frumenti nobile granum,
Et moritur, fructus germine multiplici.
Non cadit in terram Laurentius; vritur igni,
Et moritur, fructus germine multiplici.
Omnia consumit, sed Christo est frugifer ignis;
Quin si ignem tollas, nil bene fructiferum.

Eidem.

CVm sibi iam tostos sensit Laurentius armos;
Heus, inquit, pars est assa Tyranne tibi.
Tu tibi thesauros optas, ego porrigo carnes;
Illos Christus habet, tu mea membra vora.
Plus do quam cupias; igni assas tu cape carnes,
Assatum igni animum tu cape Christe meum.

SS. Martyribus Hippolyto, & Cassiano.

VNa duos lux morte pares, pœna impare iungit,
Opposita expertos fulmina sæuitiæ.
Hippolytus raptatur equis, puerilibus alter
Cuspidibus mortem tardigradam patitur.

Et

Et cum perueniant citius velocia tardis,
Hic metam attingit martyr vterque simul.

S. Casſiano Martyri.

IMpia circunstat puerorum turba magistrum,
Imprimit & tenera cuſpide mille notas;
Scribendi genus hoc non te didicere magiſtro;
Scribitur his Chriſti paſſio litterulis.
Viuus tu codex, mors ſic inflicta character,
Scriptores pueri, lectio Chriſtus erat.

In Aſſumptionem B. Virginis.

DIxerat exclamans ventrem tibi Virgo beatam,
Et fontes lactis fœmina ſancta tuos.
Vox nuda eſt hominum, dum te vocat illa beatam;
Omnia tu ſolida ſorte beata facis.
Cœlum aſſumpta facis, terram tumulata beatam,
Chriſti carne hominum corda beata facis.

In eandem.

NOn ſubuecta volas curru ad ſublimia Virgo,
Candida nec nubes te rapit ad ſuperos.
Tu trahis æterni præcordia tota parentis,
Viſcera tu nati languida tota trahis.

Dum trahis, attraheris; nã ni trahereris, olympus
Totus amore tui tractus ad ima foret.

In eandem.

ESse triumphantem licuit tibi fęmina nunquã;
Ecce triumphatrix Virgo superna petit.
Non nisi deuicto fiebat ab hoste triumphus;
Quos sibi deuictos iste triumphus agit?
Binæ quæ præeunt, mors, & corruptio, vinctæ;
Vna illas poterat vincere Virginitas.

In eandem.

VIrginis æternæ bustum quid quæritis, illud
Si mortis, vitæ si locus illa fuit?
An locus esse loco poterit? sed si amplior alter;
Et mortem & tumulum, dic, pia Virgo vorat.

In eandem.

SOluitur in cineres compactum è puluere corpus,
Et redit in partes massa coacta suas.
Virginitas cœlo delapsa in Virginis artus
Transijt, hanc verti quis putet in cineres?
Sic quò Virginitas, illuc & Virgo volauit;
Quodque dedit terris, rursus olympus habet.

In

In eandem.

INferis merſi periere viui,
Qui Deo carum populum ſciderunt.
Ergo quæ ſummis ſociauit ima,
Viua triumphat.
Seruat illæſum Paradiſus Henoch,
Viuus vt præco domet Antichriſtum.
Ergo quæ cunctos domat Antichriſtos,
Viua triumphat.
Igneo raptus petit alta curru
Viuus Helias, moriturus olim.
Ergo quæ ſcandit rapiente Chriſto,
Viua triumphat.
Neſcit internam benedicta mortem,
Frangit externam ſuperando mortem.
Ergo proſternens vtriuſque vires,
Viua triumphat.

In eandem.

COetus Apoſtolicus Chriſto moriente fugatur,
Attamen ad funus Virginis ille volat.
Et cum Chriſte, trahã moriens ad me omnia, dicas;
Vna tamen moriens omnia Virgo trahit.
Matris honor pluris Chriſto eſt, quã gloria Chriſti;
Nec matri negat hoc, quod negat ipſe ſibi.

Epita-

Epitaphium Virginis.

HIc fuit, hic non eſt; viuit quæ condita vixit,
Nupta innupta, Dei Chriſtotocos genitrix.
Quod mirere magis, mortem poſt funera vicit.
Et nunc infelix mors iacet hic poſita.

Eidem.

QVis te marmoreo ſepeliuit gemma ſepulcro,
Et raptam furto nunc ſibi conqueritur?
Te Rex mercator nullo non ære profuſo
Emerat, vt capiti gloria ſumma fores.
Abſtulit ille ſuo iure vſus; fulget olympo
Gemma hæc; quid fruſtra quæritis in tumulo.

Eidem.

QVod ſuper Angelicos hierarchas fœmina Virgo,
Proxima regnanti ſceptra beata geris.
Hoc tibi multiplici debetur nomine; verum
Quærenti cauſſas, hæc erit vna ſatis.
Angelus angelicas detraxit ab æthere turmas;
Vt ſit lapſus homo vel Deus, ipſa facis.

Eidem.

Eidem.

STans erat, at propriam nunc vult Sapientia sedem.
Quid mirum, Virgo si volat ad superos?

Eidem.

CHristus vt à tumulo calcata morte reuixit,
Non ille extemplo transijt ad superos.
At virgo vt primum mortem eluctata reuixit,
Extemplo victrix transijt ad superos.
Linquere non poteras tunc Matrem Christe manentem,
Et nunc surgentem linquere non poteras.

Eidem.

POstquam rapta semel iacuisti condita saxo,
Mors te Virgo satis credidit esse suam.
Non Dea, quę iacet hic; nō pars huic altera regnat,
Qualis, ait, Christus reddere se potuit.
Risit ad hæc Natura parens; quid stulta superbis?
Inquit; non vno nomine deciperis.
Si mea perfregit, poterit tua frangere iura;
Si vitæ est radix, viuet & ipsa sibi.

Eidem.

Eidem.

SOl Christus, Virgo est aurora; sed anteit ortus
Auroræ, solem dum trahit illa suum.
Ordine nunc verso rerum miracula fiunt;
Ad se se auroram sol trahit anterior.
Ipse prior Christus se Sol super astra locauit,
Et matrem auroram nunc super astra locat.

Eidem.

DVm tu Christe volas æterna ad regna triumphans,
Obuius omnis erat nil nisi verna tuus.
At dum Virgo volat superum Regina triumphans,
Obuius es matri Rexque Deusque tuæ.
Splendida magnificos si reddit pompa triumphos,
Iste tuo maior Christe triumphus erit.

Eidem.

DAemonis, & mortis cõmunis nænia, Væ, væ.
Fæmina nos traxit, fæmina nos pepulit.

Eidem.

QVi sibi Virgineo assumpsit de sanguine corpus,
Te Virgo assumit nunc sibi de loculo.

Vtra-

Vtraque mira quidem, verũ eſt aſſumptio diſpar;
Hac capis, hac caperis; hac trahis, hac traheris.

Eidem.

CRedere tunc voluit, potuit cum tangere Thomas;
Nunc credit, poſtquam tangere non potuit.
Virginis optabat ter ſanctum viſere corpus,
Et mox aſſumptum credidit ad ſuperos.
Quantum Relligio tibi debet Regia Virgo?
Prima doces, vt ſit, quæue ſit alma fides.

In auratum laquear, quod Petrus Cardinalis Aldobrandinus in æde S. Mariæ Transtiberim ornauit.

TRes aurum Reges Regiq. Deoque dederunt;
Auratum laquear dat tibi Virgo Petrus.
Deſcendentem illi è cœlis, te Petrus adorat
Carne aſcendentem Cœlituum Dominam.
Ergo vt ſtella Magis dux Chriſti luce præiuit,
Sis dux in patriam tu quoque ſtella Petro.

Eidem.

Eidem.

VItæ arbor si nulla capit consortia mortis,
Vitæ arbor Virgo quæ capit, vnde capit?
Aut non vera fuit mors, qua vitæ occidit arbor;
Aut vitæ & mortis fœdera conueniunt.
Et si vitæ arbor cadit vt plantetur olympo,
Hoc est & mortem reddere viuificam.

Eidem.

ΤΗς Μαρίης ὁ τάφος, Μαρίην δ' οὐχ εὕρομεν ἔνδον,
Τύμβος ἄτερ νεκροῦ νεκρὸς ὅδ' ἔστι τάφος.
Tumba hæc est Mariæ, sed frustra hic quærimus ipsam.
Mortua sic tumba est, quæ nihil intus habet.

Eidem.

ΔΕκτο τάφος Μαρίην, καὶ οὐ τάφος εὐθὺς ἔγεντο,
Κλίμαξ δ' ἄχρι πόλου νέρθεν ἄγουσα κόρην.
Vt Mariam excepit, nō vrna est vrna, sed ingens
Scala vehens illam protinus astra super.

Eidem.

ΑΦθορίης γενέτιν φθόρος ἅρπασεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
Ἐφθάρη, ἀφθορίης αὖθις ἐπερχομένης.

Radi-

Radicem vitæ ſecuit mors aſpera, rurſus
Diſſecuit mortem vita ſuperueniens.

Eidem.

Θεσμὸς ὅδε πλάσατο, εἰς γαίην γαῖα φερέσθω·
Πῶς Μαρίη θαλάμους ἵπτατ' ἐς οὐρανίους;
Ἵπτατ' οἷα θέαινα ἐς ὑπέρτατον ἄκρον ὀλύμπου,
Κεῖθεν ἀμυθήτων πλουτοδότης χαρίτων.
Νῦν ἄρα Χαλδαῖοι πανετήτυμον εἴπατε μῦθον,
Πάντα νέμει θνητοῖς παρθένος οὐρανόθεν.

Terra in terram abeat, diuinæ eſt ſanctio legis;
Qui volat ad ſuperas Regia Virgo plagas?
Diua eſt, debetur cui ſummi culmen olympi,
Munera largifluis imbribus vnde fluant.
At vos Chaldæi nunc tandem vera canatis,
Virginis influxu quod bona quæque cadant.

ΕΤΕΡΑ ΕΠΙΤΑΦΙΑ ΕΙΣ ΤΗΝ ΜΕΤΑΣΤΑΣΙΝ τῆς παναγίας.

Τύμβος ὅδ' οὔτι κέκευθεν, ἐπεὶ Μαρίην δὲ κέκευθεν,
Κ' οὐ κεῦθε Μαρίην, τύμβος ἄτυμβος ἔφυ.

ΑΛΛΟ.

Τὸν ζωῆς χῶρον χωρεῖν ὁ φερέσβιος οὐδεὶς
Ἔλλαχεν ἐν τύμβοις τύμβος αἰειχερόδοχος.

ΑΛΛΟ.

ΑΛΛΟ.

ΤΟν Θεὸν ἁ τέξασα, ἁ παρθένος ἐνθάδε κεῖται.
Ἀρκείτω δ' ἀγαθοῖς ἁ βραχυσυλλαβία.

ΑΛΛΟ.

ΝΕκρὸς ἄτερ τύμβου, νεκροῦ δ' ἄτερ ἔπλετο τύμβος.
Τύμβος ἄνεκρος ἐὼν νεκρὸν ἄτυμβον ἔχει.

ΑΛΛΟ.

ΕΛπὶς ἐν ἀνθρώποισι καλῶν πέλεν οἷον ἀπορρὼξ,
Ὤχετο δ' εἰς μακάρους ἰπλαμβύης Μαρίης.

ΑΛΛΟ.

ΕΙΣ μακάρων Μαρίη μετεκίαθεν εὐρέα χῶρον,
Ἧς ἄτερ οὐ πλήρης χῶρος ἔην μακάρων.

ΑΛΛΟ.

ΠΑντων ἁ γενέτειρα, καὶ ἁ σοφὸς ἐνθάδε κεῖμαι.
Ὦ παῖδες μητρὸς χαίρετε μνωόμενοι.

ΑΛΛΟ.

ΟΥ χάδεν ἠελίους κόσμος δύο, οὐδὲ σελήνας.
Εἰ δ' εἶχεν Μαρίην, κόσμος ἄρ' ἄλλος ἔην.

ΑΛΛΟ.

ΤΙς; τίνος ἐστὶ τάφος; Μαρίης. Μωσήτιδος; ἄλλης
Μείζονος, ὡς Μωσοῦ φέρτερον ἔσχε τέκος.

ΑΛΛΟ.

ΔΑβίδου γενεὴν κεύθω, βασιλήϊον αἷμα,
Πρώτην παρθενίης εὖχος ἐνεγκαμένην.

ΑΛΛΟ.

Οὐ κενὸς, ἀλλ' ἤμην καινός ποτε, ἠνίκα δέγμην
Νεκροδόχος τύμβος ζωοδόχον Μαρίην.

ΑΛΛΟ.

Εἴ τινες ἐστὶ λίθων εὐδαίμονες, εὐχόμεθ' ἄμμες
Ἔμμεν, μαρμαρυγᾶς ἁψάμενοι Μαρίας.

ΑΛΛΟ.

Πανδώρης τάφος εἰμὶ νέης ξένε, τήν γε προμηθεὺς
Μητέρα πασάων πλάσε θεὸς χαρίτων.

ΑΛΛΟ.

Μαυσωλοῖο τάφος κενὰ θάμβεα· ἐνθάδε πᾶς τις
Θαύματα θαμβείτω τἄνδοθι κρυπτόμενα.

ΑΛΛΟ.

Μητρὶ Θεοῦ Μαρίῃ Πέτρος καὶ σμῆνος ἑταίρων
Οὐρανῷ ἐμψύχῳ τόνδ' ἀνέθηκε λίθον.

ΑΛΛΟ.

Οὐρανὸς ὑψίστῳ, γαίην δ' ἄρα ἄνδρες ἐχόντων,
Ἤειδεν κιθάρῃ σὸς Μαρίη προπάτωρ.
Τῷ δῆτ' οὐ γαίη σ', ἀλλ' οὐρανὸς αὐτὸς ἔδεκτο,
Εἴπερ ὅλης θῶκος τῆς Θεότητος ἔφυς.

ΑΛΛΟ.

Θνητὸς ἅπας γαίηθεν ἰὼν, παμμήτορι γαίῃ
Τὴν μικρὴν παρέχει σαρκὸς ὅλην μοιρίδα.
Δέκτο δὲ καὶ Μαρίην· ἀλλ' ἄχθεος ἄπλετον ὄγκον
Ἐξέμεσεν, μογερὸν φόρτον ἀναινομένη.

Φησὶ δὲ ἡ στενάχουσα· τί μ' ὦ Μαρίη καταδάπτεις;
Τῆς ζωῆς μήτηρ μητέρος οὔποτ' ἔην.

ΑΛΛΟ.

Ἀφθορίης τάφος εἰμὶ πρὸς ἀφθορίην ἀπιούσης,
Αὐτὸς δ' ἐν τύμβοις ἄφθορος εἰμὶ μόνος.
Νεκρὸν γάρ τε κέκευθα δέμας, ζῇ δ' ἄφθορον αὖθις.
Ἦν ἄρα νεκρόταφος, ζωόταφός τε λίθος.

ΑΛΛΟ.

Ἵπτατο μὲν Μαρίη, γεραρῶν δ' ἄρα πλήθεα κούρων
Ἤειδον, λιγυραῖς ἡδομένων κιθάραις.
Πρῶτα δ' ἔην Σεραφίμ· μεγ' ὑπείροχε χαῖρε κοράων,
Χαῖρε καὶ αὐτὴ ἄσμασιν ἡμετέροις.
Ἕσπετο τοῖς πολύφωτα, μετάρσια, θεῖα Χερουβίμ,
Ἀχράντῳ Μαρίης τερπόμεν' ἀγλαΐῃ.
Ὕψεα δ' αὖτε Θρόνων θρόνον ἔνθεον, αἰολόμορφον
Θάμβεον ὑψιφαῆ, ἀρχιθρόνου Τριάδος.
Κυρίης δὲ μάλιστα καλ' ἔθνεα Κυριοτήτων
Ὕμνεον ἀκροτάτης κυριότητα κόρης.
Καὶ κλειναὶ Δυνάμεις δυνατῆς δυνατώτερον ᾖδον
Κοσμοφόνου, σθεναρῆς εὐρὺ μένος Μαρίης.
Ἀρχαὶ δ' ἀρχανάσσαν ἀνερχομένην ὁρόωσαι,
Ἤνεγκαν γλυκερῆς τέρψιν ἀοιδοσύνης.
ἐκ δ' ἄρα ὀπάων, τετέσιν ἐξοπάων. Ἐκ δ' ἄρα σεμνοτάτων τερψίμβροτα ἰυσπάων
Σμήνεα παρθενικὸν κῦδος ἐς ὕψος ἄγον.
Ὕστατα δ' ὑστατίοις Ἀρχάγγελοι Ἀγγελικοῖσι
Μιγνύμενοι δήμοις, χαῖρ' ἐβόων Μαρίη.

Ὤρνυτο

Ὤρνυτο δ' ἐκ πάντων φθόγγος μέγας ἠδὺ βοώντων,
Τρὶς χαῖρ' ὦ Μαρίη, χαῖρε τρὶς ὦ Μαρίη.

ΑΛΛΟ.

Εἰ φθορὸς ἀφθερίης τὸ μέσος πέλεν ὄλβιος Ἀδάμ,
Εἶτα δολοῤῥαφίῃσι δαμεὶς φθόρον ἄκρον ὑπέστη,
Ἐκστὰς ἀφθερίης, καὶ ἐκ χοὸς ἔδραμεν εἰς χοῦν.
Ἄκρον ἐπ' ἄλλο φέρουσα βροτῶν κακομήτορα φῦτλα,
Ἀφθερος ἀφθορίης γλυφὶς, σώτειρα, θεῶπις,
Πῶς ἄρα λυπιμελοῦς βρέφη πέλεν ὄμπνια πότμου;
Εἰ δὲ δίκης πλάστιγξ ἀντίζυγα δέρκεται ἄκρα,
Χοαῦ χοὺς ἄκρος ἔχει, καὶ ἄφθορον ἄφθορος αἰθήρ.

ΣΤΕΦΑΝΟΣ

ΤΗΣ ΘΕΟΤΟΚΟΥ.

Εἰπέ μοι ὦ κρυφίων Γαβριὴλ προφάτα μύθων.
Ἀμμες γὰρ κλέος οἶον ἀκούομεν οὔασι θνητοῖς,
Ἀρχὸς δ' αὐτὸς ἔφυς κορυθαίολος οὐρανιώνων,
Οἶσθα τὰ ὅσσα κόρη θεομήτορι ῥέξεν Ἰησοῦς·
Τιμῶντα στέφανον Μαρίης, τὸν μήσατο Πνεῦμα,
Πνεῦμα Πατρὸς μεγάλοιο καὶ Υἱέος ἔμφυτον ἄμμα.
Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος λίπεν ἄκριτον αἴης.
Ἵπτατο δὲ ψυχὴ, τερψίμβροτος ἠΰτε φοῖβος
Ἐκ λοετρῶν θρώσκει βαθυκύμονος ὠκεανοῖο,
Ἐκ ῥεθέων παμβλὴ μετ' ἀμύμονος υἱέος οἶκον.

Πλήθεα δ' ἑσπομένων, καὶ νᾶν πανεόρτιον ἦμαρ,
Οὔποτ' ἀειρομένῳ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω,
Οὐδ' ὅσα γηθοσύνης μνημήϊα, τοῖσιν ὄλυμπος
Οἶδε τίειν Χριστοῖο φίλους, τὴν δ' ἔξοχα πάντων,
Ἥτις ἀπαρξαμένοισι Θεοῦ Λόγον ἔγκασι δέκτο·
Ὑμμιν γὰρ θνητοῖσιν ἀνήκοα· οὔτε νοήσαις,
Εἴπερ τοι κραδίαι μὲν ἐείκοσι, ὄατα δ' αὖτε
Δὶς τόσ' ἐν κεφαλῆφι γένοιατο δ' ἀχμένῳ περ.
Ἀλλ' ὅτε δὴ ἀφίκανε πόλιν, τῆς ἄπλετον εὖχος,
Χρυσέῃ μαρμαρυγῇ καὶ φέγγεϊ παμφανοώσης·
Ἡ μεγάλαις παλάμαισι Θεοῦ λάχεν ἔμπεδον ἕδρην,
Οὐ φοίβου χατέουσα φαεσφόρου, οὔτ' ἄρα μήνης
Ἐννυχίης, οὐ γὰρ καλῆς ἐπιδεύεται ἠοῦς,
Οὐ σκότον ἐξελάει φαεθοντίδος ἅρμα σελήνης,
Λάμπει δ' ἀενάοις φοίβου πυρόεντος ὀϊστοῖς,
Φοίβου παμφαοῦς, μέσσην πόλιν αἰὲν ἔχοντος.
Τείχεα δ' ἀδμήτοισι πύλαις τρὶς τέτρασιν, ἴσαις
Τετραδρόμοις πλευραῖσι, τετεύχαται ἀστράπτοντα
Ἴσα λίθῳ λάμποντι ἰάσπιδι· ἐν δὲ θεμέθλοις
Κάλλεα μαργαρέων σίλβει δυοκαίδεκα μορφᾶν.
Ἐς δὲ μέσης γαίουσα μετήλυθεν ὀμφαλὸν ἄκρης,
Ἔνθα θρόνος Τριάδος, καὶ οὐ βατὸς ἔπλετο χῶρος·
Τηλόθεν εἰσορόωντες ἐμείναμεν· ἡ δ' ἄρα μούνη
Ἤϊεν, ὡς πλειῶν ὑπερίπταται αἰετὸς ἄλλων,
Λαμπάδος ἀγλαΐην φοιβήϊδος ὄμματι λεύσσων
Ἀτρέστῳ, μούνοις νεφέων ὑπερήορος ἄκρων.

Η γὰρ

Η γὰρ δὴ μνέαμε φίλον περὶ κρᾶτα βαλέσθαι,
Αμβροσίην τὲ κόμην, καὶ ἄμφω φάεα καλὰ
Κύσαι ἐγδομένη ζωῦ παρὶ ἦος αἰάρχω.
Αὐτὰρ ἐπεὶ γλυκερῆς τὲ θέης πολὺ ἵμερον ὦρτο
Αλλήλοιν, μίθωντε κόρῳ τοὺς ἔπλεκον ἄμφω
Ταρπήτην, γενέτηρα ποτάγαγε μητέρ' Ιησοῦ.
Εζετο δ' αὐτὸς ἔπειτ' ἐπιδέξια, μεσόθι Πνεῦμα,
Πῦρ ἀμφοῖν κραδίης, καὶ ἀχράντου δεσμὸς ἔρωτος
Ιπταται· τῶν δὲ μίη πέλεται φυά, ἴς τε ἐΐση.
Τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε γέρων, τὸν κλείετε ἄνδρες
Ουρανίων χθονίων τε δομήτορα, αὐτὰρ Ιησοῦ
Καὶ γενέτην καλέειν ἐπετείλατο οἷσι φίλοισιν.

Ηλυθες ὦ κούρη, τὴν ἐν φρεσὶν αἰὲν ἔχεσκον
Αγλαΐης ἔραμαι μετ' ἐμὸν τέκος· οὐδ' ἄρα πόσον
Θυμὸν ἐμοῖσι νόεσσιν ἰαίνομαι, οὐ τόσον ἄλλοις,
Τούς μοι ἀφθηκυσσάμην ἐξ ἰλύος, ἀστέρας οἷον
Λάμψιος ἀγγελικῆς ζηλήμονας· οὐδ' αὖ ἅπαντας,
Παῖδας ἅμ' εἰσορόωιμι· σὺν ἔπλετο κάλλος ἀμεμφές.
Εξ ἐμέθεν πάϊς ἐστὶν ὅλος, τὸν γείναο κούρη,
Εκ σέθεν αὐτὸς ἔηλυθεν ὅλος πάϊς. ἀλλ' ἄγε νύμφα,
Οφρα σε κόσμον ὄλυμπος ἔχοι, διαδήματι χαίτην
Στέψω· εὐστέφανος δέ μοι ἔσσεαι ἤματα πάντα.

Ως εἰπὼν πλοκάμοις χρυσέην ἐπέθηκε καλύπτρην,
Κῦσε δέ μιν κεφαλήν καὶ ὄμματα· τὴν ποτε Πνεῦμα
Εξοχα πασάων κεδνὴν τεκτήνατο νύμφην,
Θέσκελον, ἀστερόεντι κτυπον ἀφρασοτόκοις πραπίδεσσι,

Κύκλῳ δαιδαλόεσσαν ἐῢ ξέστισι τορεύσας
Εἰκόσιν, αἳ Μαρίης ἀρετῶν τύπος ἄπεζος ἔσσαν.
Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξεν, ὅλης σφαίρης μέγα κέντρον,
Οἵην κοσμοπάτωρ ποτ' ἐδείματο, ἀνθεμόεσσαν,
Εὐθαλέ', εὐκάρποισιν ὄρεσφιν ὅλην κομόωσαν.
Καὶ τὴν ἐδὲμ φαέθοντος ὑπ' ἀντολίῃ, παράδεισον
Κλείομεν, ἄκρον ἄωτον ὅλης χθονὸς, εὐκλέα χῶρον,
Κῆπον, ἵνα προτέροισιν ἔοι δόμος ἀνθρώποισι.
Δένδρεσι παντοίοισι κεκασμένον, ἄνθεσιν ὥρης
Εἰαρινῆς χλοάοντα, καὶ ἀμφιλαφεῖ ἐνὶ ἄλσει
Γαῖαν ἐρευγομένην ποταμῶν βαθυχεύμονα φλοῖσβον.
Αὐτόματον φύεται λευκὸν κείνον, ἠδ' ὑάκινθος,
Καὶ ῥόδον ἀμφίχροον, καὶ ναρκίσσοιο πέτηλα.
Δάφναι δ' αὖ, συκαῖ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι
Μείζονες ὑμετέρων καὶ πάσσονες εἰσὶν ἰδέσθαι,
Βριθόμεναι καρποῖσι διαμπερές. οὐ κρύος οὐ φλὸξ
Κεῖθι χλόας δάμνησιν, ὀρόρει δ' ὑψόθεν αὔρα,
Ἰς γλυκερὴ ζεφύροιο, ἀηδονίδεσσιν ὁμοίη.
Αἳ δ' οὔτοι γοόωσιν ἀμοιβαδὶς, ὅσαι δ' ἀχὴν
Βομβεῦσιν μελίγηρυν, Ἀδὰμ παραμύθιον εὖσαι,
Καίπερ ὁμοζυγίης ἐπιήρατον εἶδος ἔχοντι,
Παρθένον αἰδοίην Εὔαν, πλευρῆς ἀπὸ μέσσης
Ἀνδρὸς ἀποσπασθεῖσαν, ἵν' πάρος εὔζυγα μοῖραν.
Ἐν δ' ἐτίθει ζωῆς περιώσιον ἔνδοθι δένδρον,
Μεσσάτιον παράδεισον ἀνὰ πετάνεσσι καλύπτον.
Καὶ σοφίης δένδρον θαλερώτατον ἐγγύθι κείνου,
Εὔσκιον,

Εὔσκιον, ἱμερόκαρπον, ἐΰχροον, ὄμμα δαμάσδον,
Εἴθε δὲ μὴ γεῦσιν, τῆς γὰρ μόρος ὄψον ἐτύχθη,
Ὄψον ἀλιτραίνουσι· δράκων ὅτε ταῦτα δαφοινὸς
Ὑπερέπνευσε γυίαιον, ὃ δ' αὖ ἑὸν εἵλκυσεν ἄνδρα,
Νήπιον, οὐ νοέοντα κακοῦ μελεδήματα θηρὸς,
Ὑμμιν δ' αὐτὴ βίου στοναχὰς καὶ ἄλγεα δῶκεν.
Ἐγγύθι δ' εὐπλόκαμον παρεθήκατο παρθένον Εὔας
Δάκρυ ἀποσμήχουσαν, ἀεικλαύτου περ ἐούσης.
Τὴν δ' ἔτι Μαρίην ᾐνίξατο σύμβολα τέχνης.
Χεῦμα μὲν ἦν ὑπέρυθρος, ἐπήεατα δ' ὄμματα γαίην
Εἰσορόων δοκέεσκον, ὅλη τ' ἀναὴ κυπαρίσσῳ,
Ἢ στελέχει φοίνικος ἀηλινέος οὐρανομήκεις
Εἴκελος· ἀμφὶ δ' ἄνασσα τετυγμένον ἕσσατο φᾶρος
Παντοίοισι μίτοισιν, ἴσον δολίοισιν ἀράχνης
Ἱστοῖσιν· μῆλον χερὸς δ' ἐπέσχεθε καρπῷ.
Γράψε δ' ὁ τεχνίτας κεκολαμμένα σήματα· καλῆς,
Καλῆς μῆλον ἔφυ τὸ βιώσιμον ἄνδιχα νείκους·
Ἐν δ' ἐτίθει κόσμοιο φαάντατον ἐγγύθι λύχνον,
Ἠέλιον τ' ἀκάμαντα, καὶ ἔννυχον ὄμμα σελήνην
Πλήθουσαν, τὴν μὲν περὶ ἄψεα, τὴν δ' ὑπὸ πέζαν
Παρθένου ἀδμήτοιο· κόρσην δ' εἶχεν ἀστερόμικτον.
Ἐν δὲ ποίει τίκτων τε εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Καὶ πουλυαστερίας νήσους μεγακήτεϊ πόντῳ,
Καὶ μέγα ποντοπόροισι πεφιλημένον αἰθρίσιν ἄστρον,
Ὄφρ' ἱερὴν ἄγκυραν ὁρᾶσθαι τηλόθι ναῦται.

Εν δ' ἐρυθρὴν τ̃ θάλασσαν, ἰδ' ἅρματα πολλὰ τυράννȣ,
Λαοῖο ζαθέȣ δηλήμονος. ἀλλ' ὁ μὲν ἤδη
ᾆσμα Θεῷ γλώσσαισι μελίσδετο κ̀ πλαταγᾶισιν
Αμμιγα θηλυτέρασι· Θεȣ̃ μέγας οἷσι προφήτης
Μωσεὺς ἡγεμόνευε, σοφῆς δ' ἐξῆρχεν ἀοιδῆς.
Αὐτὰρ ὁ δινωθεὶς πικροῖς ῥοθίοισι βυθίσθη,
Οὐκ οἷος, ἅμα τῷ γε παρεσπομένων ἀπόλωλε
Δῆμος ἅπας, θανάτȣ κρυερῷ νέφει ἀμφικαλυφθείς.
Εν δὲ τεθηλυῖαν ῥάβδον πίθει ἀρχιερῆος,
Και βάτον ἐ πυρίκαυστον, ἰδ' Ἴριδος ἀγλαοκύκλȣ
Τόξον, ὑδροκτονίης σημήϊον ὠλεσιφώτȣ
Μηκέτι ἐσσομένης, θνητοῖς ἄγγελον Ιριν.
Εγγύθι δ' ἐγκατέμιξε ἐργία Νῶε κιβωτὸν,
Αμφὶ δ' ὑποβρύχιον γαίης πέδον ἀμφιζίτη,
Νηχομένων τ' ἀνδρῶν νέκυας κατατεθνειώτων,
Ηνίκα λαβροπετεῖς Θεὸς ὄμβρȣς ἐκ νεφελάων
Ηκεν ἐφοπλίσσας μέγαν αἰθέρα, ἔμπυρον ὅππως
Αμπλακίην σβέσειεν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων,
Ολκάδος ἐν λαγόνεσσι φυλάξας σπέρματα γαίης.
Καὶ μέγαν ὀλβιόεντα Ισαακίδαο πατριάρχȣ,
Κλίμακα οἷα γέφυραν ἀπ' αἰθέρος ἄχρι πρὸς αἶαν·
Δαβίδȣ τ̃ μάχαιραν ὑπερμενέος βασιλῆος,
Καὶ Σολομωντείης ἕδρης μεγαλώνυμον εὖχος.
Ες τί δὲ πάντα λέγοιμι, ὅσοις τέφος ἀμφικέκασο;
Καὶ νόας ἀμφιχάραξεν ἀπείρονας· ἐννέα δέ σφι

Ταγ-

Τάγμαθ' ὑπαὶ πλάσαο δεδαίαται, οὐ πυρόεντας,
Οὐδὲ μὲν ἠερίους φῦντας δέμας ἀρρενοθήλεις,
Ἀλλὰ φάη ζωοῖο φάους θεράποντας ἀγαυούς,
Ὀξαλέους, κήρυκας ἀμεμφέας ἀγγελιάων.
Καὶ στίχας ἡμερείων, τοὶ ναιετάουσιν ὄλυμπον.
Ἐν μὲν Πατριάρχας τε, Προφητάων τὴν χορείην·
Ἐν δ' ἄρα πορφυρέεσσαν ὁμήγυριν ἐγχεσιπλήκτων·
Ἐν δ' ἱεραρχάων, καὶ ἀμώμων παρθενικάων,
Οὐ μιγάδων μιγάδωντε διακριδὸν εὐκλέα δῆμον·
Ἠδ' ἀγορὴν μεγάλειθμον ἀποστολικῆς ἐφεδρείης,
Τοὺς ποτε Χριστὸς ἄναξ γαίης ἔπι λέξαθ' ἑταίρους,
Λαοὺς κρινόντων, καὶ ἄκριτα φῦλα καμόντων,
Ἰθυδίκοις πλάστιγξι τετυγμένον ἔργον ἑκάστῳ.
Πάντες δ' αὖ βοάασκον ἀολλέες· ἄμμιν ὀφέλλῃ,
Ἄμμιν ἔοις βασίλεια, τεὸν κλέος ᾄσομεν ἄμμες.
Ἀντία δ' εὐχομένοις αὐτήχεε κλεινὸς Ἰησοῦς·
Αὐτὰρ ἐμοὶ μήτηρ παραλέξεται, ὡς γὰρ ἔοικε
Μητέρι καὶ νύμφῃ, ἥ ῥ' ἵμερον ἔμβαλε θυμῷ.
Ὕμμιν δ' αὖ κέλομαι, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται·
Τριπλόον ἐκ στομάτων Μαρίῃ μέγαν ὕμνον ὑφαίνειν.
Δέξο μοι Τριάδα ζωὸν χαῖρ' ὄλβιε κούρη·
Χαῖρε Λόγου μῆτερ, θυγάτηρ μέγα χαῖρε τοκῆος,
Πνεύματος ἀθανάτου Μαρίη χαῖρ' ἄμβροτε νύμφη.

In Assumptionem B. Virginis post Lunæ Eclipsim.

L*Vna suos patitur terra obscurante labores,*
Decolor extincta dum face tota latet.
Luna tuum Virgo passa es moriendo laborem,
Non tamen vt posses tota latere simul.
Nam passa eclipsim tu nunquam tota fuisti,
Lucida vel nascens, lucida vel moriens.

Eidem.

N*On tuba te Virgo, nō voce Archangelus acri*
Excitam sistet iudicis ad solium.
Ille, cui dederas puro de sanguine carnem,
A tumulo carnem mox tibi restituit.
Vt superum Regina fores, spectanda beatis
Viuentis viuo corpore viua parens.

Eidem.

D*Vm sublime volas vt Sol, vt candida Luna;*
Vt castrorum acies cur metuenda volas?
An semel angelica pugna olim victor Olympus,
Expugnandus erat rursus & ille semel.
Perdidit innumeros tunc ciues ille fugatos;
Vi Mariæ ciues nunc capit innumeros.

Eidem.

DVm fit homo, sola capiens de Virgine carnẽ,
Ima capit Verbum, nec magis ima potest.
Dum meritis reddit maternis præmia, reddit
Alta nimis, sumpsit quam nimis ima sibi.
Immensa id pietas, immensa hoc gloria; primi
Si modus est, etiam posterioris erit.

In effigiem B. Virginis Assumptæ depictam in laqueari S. Mariæ Transtiberim.

AEthera cum peteres rediuiuo corpore Virgo,
Humanos sensus id latuisse ferunt.
At nos ire palam te nunc super astra videmus,
Dum Petri auratum conspicimus laquear.
Mentitur pictor; non hoc opus artis, at ipsa es;
Quæ templum inuisens, rursus ad astra volas.

In eandem.

DOcta manus Mariam tabula depinxit in alta;
Hocq. magis fallit, quò magis illa capit.
Ars vnde hos potuit viuos adhibere colores?
Et nostris se oculis subtrahet illa volans.

Quid facis ò Virgo ? nihil eſt quod in æthera mi-
Abſentem cœli gloria te ſequitur. (*gres;*

S. Rocco.

NOcte Iacob tota luctatus vulnera ſenſit;
Vulnera Roccus habet: marcet vtriq. femur.
Ille Deum contra fortis poſt vulnera dictus;
Iſte fugat peſtis vulnera, vulnus habens.
Ille ſibi petijt benedici, hic peſte fugata
A populis vltro fert benedicta pijs.

S. Bernardo Abbati.

VNa ſalus homini brutiſq. remanſerat arca,
Cum preſſa Oceano vindice terra foret.
Schiſmatis Oceano cum verior arca ſubeſſet,
Bernardus miſeræ tunc fuit vna ſalus.
Quod natura hominum ſeruanti debuit arcæ,
Myſtica Bernardo debeat arca Dei.

Eidem.

ASpera Crux alijs, Bernardo eſt ſarcina dulcis;
Felq. datum Chriſto, mel facit ille ſibi.
Nec ſequitur Chriſtũ, Crucis vt ſit põdere preſſus,
Faſciculum myrrhæ ſed ligat vberibus.
Et maiora tuus facit hic te Chriſte miniſter;
Lac Bernardus habet, quod tibi ſanguis erat.

In

In Sacellum eiusdem ad Aquas Saluias.

HIc scalas Bernarde vides attingere cælos,
Nec velut Isacides somnia sancta vides.
Scandere sed puras flammarum è carcere mentes,
Ignea dum fundis tu tua vota Deo.
Ille videt scalas, scalas facis ipse; quiescens
Ille, sed inuigilans tu pia visa capis.

S. Bartholomæo Apostolo.

INduerat Plastes hirsutis pellibus Adam,
Ille vbi patrator criminis erubuit.
Tu quia iam factus cœlestis filius Adæ,
Exuis & pellem Bartholomæe tuam.
Quin etiam Christo, iudex cum venerit Orbi;
Pelle mea texi, dicere tu poteris.

Eidem.

NVdus vt in mundum veni, sic nudus abibo;
Iob canit; & plus hoc Bartholomæe canis.
Nudus eram veniens, abij ter nudus, & ipsam
Abieci toto corpore pelliculam.
Qui Christum indueras, quis dicat Apostole nudũ?
Hoc plus vestitus, quò mage nudus eras.

Eidem.

Eidem.

NVdus erat, sed nudo omnis pudor abfuit Adæ,
Dum mens pura illi crimine nuda fuit.
Nudus vt erubuit, data pellis turpia texit.
Ordine tu verso Bartholomæe facis.
Non tu nudus eras, sed te nudum esse volebas;
Quod non nudus eras, hic pudor vnus erat.
Ergo pelle tua nudatus Apostole clamas;
Hæc pro pelle data reddita pellis erit.

Eidem.

DVm non pelle sua tegitur, velamine fallit;
Cernitur exutus pelle tegente lupus.
Tu pastor sub pelle tua, domitorq. luporum,
Et pastor posita pelle fidelis eras.
Pro grege pastor eras, Christi pro nomine martyr;
Pro Christo pellem, pro grege dans animam.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΑΠΟΣΤΟΛΟΝ Βαρθολομαῖον.

Πρὸς τὸν λαμπρότατον Καρδινάλιν Ἰούλιον Ἀντώνιον τὸν Σανκτώριον, τοῦ ἐν Ῥώμῃ Ἑλληνομουσείου προστάτην πάλαι φιλανθρωπότατον.

ΔΩΡΙΣΤΙ.

ΚΑὶ σκαπτοῦχος αἴαξ στεφαναῖ περικείμενος ἀγ-
Ἀγλαΐας αὐγᾷ τέρπεται ἀστερολίθω. (γλαν,

Αλλος

Αλλος ἐαὶ κεφαλὰν πεπυκασμένος αἴθισ᾽ ἐλάιας,
   Γαυθιάα παλάμας ἕνεκα τὰς σφετέρας.
Οὐ ταύταις σεφαίαισι πυκάσδετο Βαρθολομαῖος,
   Οὔτε φίλοι πόρθως ὦκα μιαινομένως.
Αθλε τὰς φοβερὰς τῆ λύκως κὴ θῆρα δαμάσδεν
   Αγριον, ἄθλ᾽ ἔχεν δαίμονας ἀντιπάλως.
Αθλε μιμητὰς Χρισῶ φίλος ἔμμεν, ὁ δ᾽ αὖ μιν
   Τίμησεν βιοτᾶς σάμασιν ἀθανάτας.
Δαβίδος μιν ἀείδεν ἐφιμέρω ᾠδέ τι μολπᾷ·
   Πολλὰ φίλως φιλέεις, πολλὰ φίλως φιλέεις.
Πολλά τευ ἀρχόντων περιώσια δῶρα πέλοντι
   Χριστέ. δίδευ κ᾽ ἄμμιν σᾶς χερὸς ἀφθονίαν.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΑΙΟΛΙΚΗ.

Ἔννεπε τρὲς χρεαρὸς ἑτάρως, τὰς πέμπε διδάσκεν
   Ιερτάταν σοφίαν Χριστὸς ὁ παντοκράτωρ.
Εασεῦθε σκολιοῖσιν ὁμοίϊοι αἰολομόρφοις
   Νῦν ὄφιεσι· δράκων τὰς κεφαλὰς πρόμαχος.
Μάρτυροι αἰὲν ἔσοισθε ἀταρβέες· ἕνεκα δ᾽ αὐτᾶς
   Καὶ ψυχᾶς μή πως φθείρετε ἀξεκίαν.
Ταῦτα πάϊς Χριστοῖο φιλάκσατο Βαρθολομαῖος
   Αντὶ φίλω Χρισῶ, ἀντ᾽ ἀρετᾶς μεγάλας.
Αλλὰ κὴ δίμυαμαν γαίᾳ ἔνι κάββαλε γῆρας,
   Ως ὄφις, ὡς σοφίας πλάγεα θυμὸν ἔχων.

Νῦν δὲ σαίευτεὸν ἄττα φίλον, περιπόρφυρον ἤερον,
Ἄμμες τ' εὐχομένως Βαρθολομαῖε πάτερ.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΙΩΝΙΚΗι.

Ἰνδῴην Διόνυσος ὅλην ληΐζετο χώρην,
Οἰστρομανὴς, θύρσων ἔγχεϊ γαυριόων.
Θηλυτέρων σπείρῃσι μετάρσιος, ἄγριον εὖ οἱ
Φθεγγομένων· κισσῷ, νεβρίδι ῥεμβομένων.
Τοὶ δ' ἔικως μεγάθομε ὁμοίϊον εὖχος ἀείδω.
Ψεῦδος ἔοι κείνου θάμβεα· σὸν καλέω
Βαρθολομαῖε πάτερ πολλὸν κλέος· ἤλασας Ἰν-
δοὺς,
Νίκησας μελέων σίφεα δαιμονίων.
Οἶνον ἔχων σπλάγχνοισι, τὸν ἔκπιες ἔν ποτε δείπνῳ
Ἐνζοον, ἐν πολέμῳ σταυρὸν ἔχων παλάμῃ.
Μοῦνος ἐὼν Ἰνδοὺς γλεφόταο, ἔμβαλες οἶστρον
Θειομανῆ· μανίην τήν περ ἔχοιμι νόῳ.
Εἶτα Χριστῷ ἔπλευ ἱερήϊον, ὧδέ τι βώσας·
Σοὶ Λόγ' ἀεθλεύσας αὐτὸ δέρος διδόω.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΑΤΤΙΚΗι.

Ἀντὶ μιᾶς ἑκατὸν μοίρας φίλος ὅστις ἐλεῖ-
ται,
Ἀμβροσίῳ ἐτάροις Χριστὸς ἔφη στόματι.

Παῖτα

Πάντα λιπὼν εἴτις, πολλοὺς ὅσ' ἄνδρας ἀρέσκει,
  Χριστὸν ἔχοι, κόσμου μὴ πλέον οὐκ ἀλέγων.
Εἶτα Πέτρον, πάντας τοῦ Πέτρῳ τοὺς ξύμφρονας εἶπεν·
  Εὖ ῥὰ ποιεῖν ὑμᾶς βούλομαι, ἐς τεδέκα
Καὶ δύο χρυσοῦφεῖς ἕδραις καθιῶ, ἀβραμίταις
  Κρίνοντας, λαοὺς, φῦλα τε γηγενέων.
Ταῦτα φίλης ψυχῆς τότ' ἐφήνατο Βαρθολομαίου.
  Πλεῖν δὲ λιπεῖν τι θέλων, δέρμα προσεξέδοτο.
Τοῦτο βοῶν μονονοῦ· γυμνὸς καὶ δέρματος ἥκω,
  Οὐδ' ὅλον ὦ σωτὴρ αὐτὸς ἑαυτὸν ἔχων.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΟΙΝΗι ΔΙΑΛΕΚΤΩι.

Τί ξένον, εἰ γλώσσαις τὸν Ἀπόστολον ὑμνολογοῦμεν
  Παντοδαπαῖς, αἷς δὴ Ἑλλὰς ἐχρῆτο πάλαι;
Χριστὸς ἀπ' οὐρανόθεν διενείματο δῶρα τοιαῦτα,
  Ἡνίκα πλεισθέντες τὸν Παράκλητον ἴδον
Εἴδεσιν ἐν πυρίνοις οἱ Ἀπόστολοι· ὃς διαλέκτους,
  Ὅσσας κόσμος ἔχει, πᾶσιν ἔνειμεν ἴσως.
Καὶ τότ' Ἰουδαίους κακοπίστου Βαρθολομαῖε
  Μεμψάμενος γνώμης, θεῖος ἀνὴρ ἐφάνης.
Ἀνθ' ὧν καὶ ἡμεῖς σε γεραίρομεν, ὡς ἱερὸν φῶς,
  Ὡς ἅλας, ὡς Χριστοῦ μάρτυρα λαμπροφόρον.
Μιμητὴν τοῦ πάθους, ὃ καθηγητής περ ὑπέστη,
  Τῆς μεγαλοψύχου ζῆλον ἔχοντα φρενός.
Ἀλλὰ πόθον καθορῶν, ὃν Ἀπόστολε σοῦ ἀνήρ σοι
  Δείκνυται, ἀΐδιαν εὔχου ἀμείψειν ἔχειν.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΙΚΟΝΑ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ Ἀποςόλου.

Εἰκὼν, ὡς δοκέω, μεγαθύμου ἐστὶν ἀνδρός.
Ἐς τὶ δ᾽ ὄλυμπον ὀρθὸν ἔγχος ἔχει παλάμη;
Ναὶ τάχα νικήσαντος ἀεθλητῆρος ἀγαυοῦ,
Τῆς μεγάλης καὶ ἐστὶ σύμβολον ἠνορέης.
Ἐς τί δὲ γυμνὸς ἔην; ὅτι φέρτατος ἦε παλαιστής.
Πῶς ἄρα γυμνητῶν γυμνότερος τελέθει;
Βαρθολομαῖον ἔοικε φέρειν τύπος, ὅς ποτε χλαῖναν
Χειρὸν ἔχων, χλαῖναν κάτθετο δερματίνην.
Τῆς μεγάλης ὁ μέγας μνήμων θεοφαντορος αὐδῆς·
Ἄρκιον ἐν φάεος, δεύτερον ἄλλος ἔχει.

S. Ludouico Regi Galliæ.

SI tibi quinque dedit Christus Ludouice talenta,
Quinque talenta tibi Gallia tota fuit.
Gallia si fuerat non plus tibi quinque talentis,
Quis capiat, quæ sit gloria plena tibi?
O nimium felix, quem Rex Regum vnxit, vt vnus
Rex nascendo fores, Rex moriendo fores.

S. Augustino Theologorum Principi.

OMnia cum Michael è cęlo monstra fugauit,
Fœdata est varijs vndique terra malis.
Hic opus ingenio fuerat validisque lacertis,
Ne foret æternis perdita terra malis.
Ergo venis, calamoque potens & robore mentis
Augustine fugas monstra, vel arte necas.
Inclyte Dux, nostrũ est si Christi Ecclesia cœlum,
Tu nouus es vindex, tu nouus es Michael.

Eidem.

FOnte rigabatur sitiens Paradisus ab vno,
Quattuor vt fluuijs solus origo foret.
Vno tota ardens Ecclesia fonte rigatur,
Vnde omnem cernas surgere fonticulum.
Ni magis Oceanus sis Augustine vocandus,
Vnde omnes veniunt, quoque feruntur aquæ.

Eidem.

TOxica quæ fundit, medicinã vipera præstat,
Facta venenatis omnibus antidotum.
Omnibus antidotum sis Augustine venenis,
Ante venenatus qui Manichæus eras.

Vipera viua necat, curat non viua; ſed ipſe
Quod poteras lingua, nunc potes & calamo.

Eidem.

MAgnis apta viris ſi quadrãt nomina, pleno
Auguſtus dici nomine debueras.
Ille Monarcha hominum, ſed te Auguſtine Monarcham
Humanis natum dicimus ingenijs.

Eidem.

DVm tua perpendo diuinæ oracula mentis,
Totus & ingenij ſcripta reuoluo tui.
Hæreo defixus, tacitoque hæc pectore dico:
Hæccine mortalis ſcribere poſſit homo?
Sublimi penetras violentus acumine cœlos,
Eruis & calamo ſenſa profunda tuo.
Viribus herculeis obiecta repagula frangis,
Fundis & hæreticæ barbara caſtra notæ.
Igneus es, dum lingua Dei flammeſcit amore;
Et ſacro accenſas euomis ore faces.
Non homo, non Deus es, non Angelus: Africa ſemper
Monſtrifero fertur præualuiſſe ſolo.
Nobile (ſi nobis fas eſt ita dicere) monſtrum;
Auguſtine tuum dicimus ingenium.

Cedant

Cedant Europæ, cedant Aſiatica regna,
Africa dum nobis talia monſtra dabit.

Eidem.

SI non adſit amor, nihil eſt, ait, abdita linguis
Si loquar humanis, ſi loquar Angelicis.
Quæ foret Angelici ſermonis forma, latebat;
Auguſtine facis, quod latet, vt capiam.
Plus tenet humanus ſenſus, quam lingua miniſtret;
Humano ſenſu plus tua verba ſonant.

Eidem.

VT ſubnixa Petro ſtygias Eccleſia portas
Non timeat, Chriſti ſanctio certa facit.
Vt ſtygiæ timeant portæ, quæ Eccleſia iactat
Tela, Auguſtini mens calamuſque facit.
Et facit hæreticæ puerorum vulnera dextræ;
Quæ pius infligit vulnera, mortis opus.

Poſitus in medio, quò me vertam neſcio.

VNam dupla trahat ſi vis rē viribus æquis,
Poſſe trahi neutra vi ſuperante negant.
En ego lac inter maternum, & vulnera Chriſti,
Viribus extremis hinc trahor, inde trahor.

Nec trahor in partes, totus sed distrahor æquè;
Vbera lacte trahunt, vulnera fonte trahunt.
Vtraque dant vitã, dant vtraq. nectaris vndas;
Nescio quò vertar, dum trahor, atque trahor.
Ad me cuncta traham, dixisti Christe; sed ipsum
Te quoque pertraxit Virginis vnus amor.
Si qui cuncta trahis, traheris; quid ni trahar ipse?
Vbera mater habet, vulnera mater habet.
Nam qui Virgineum pectus pertransijt ensis,
Fœcundam vberibus, vulneribusque facit.
In medio positus trahar ergo totus ab vna,
Totus si in tota Virgine natus inest.

In idem.

HInc alor, hinc lactor; dextra vbera, vulnera læua;
In medio positus lumina quò iaciam?
Nec ceu magnetis trahit hæc, pars illa repellit;
Sed paribus nodis hæc trahit, illa trahit.
Det mihi lac potum, det copia sanguinis escam;
Ordine seu verso dent alimenta simul.

S. Ioanni Baptistæ decollato.

LEx est, triste caput quòd fœmina conterat anguis;
At Baptista tuum conterit illa caput.

Impia

Impia ſaltatrix, ſi ſuſo in ſanguine vox eſt,
An caput exſectum voce carere putas?
Viuit & exclamat; Mulier res noxia ſemper;
Et decepta nocet, decipienſque nocet.

Eidem.

C*Lamabas poſitã ad radicem iam eſſe ſecurim*
Prodrome, dum propior iam foret illa tibi.
At non fructificis vindex eſt apta ſecuris:
Secura ergo tibi vita ſecuris erat.

Eidem.

G*Audia naſcendo multis Baptiſta tuliſti,*
Et multos anxit te moriente dolor.
Gaudia ſenſiſti materni in carcere ventris,
Te dolor in Regis carcere magnus habet.
Te naſcente parens rupit ſibi vincula linguæ;
Horrifico in diſco nunc tua lingua ſilet.
Lauiſti turbas vndis luſtralibus; ergo
Præmia ſunt, vt te ſanguinis vnda lauet.

Eidem.

M*Aterna vt fueras olim ſaltator in aluo,*
Sic tibi ſaltatrix abſtulit vna caput.
Et caput exſectum tibi ſacro à corpore ſaltat,
Saltator pariter quò moriendo fores.

Saltator primum, ſaltator denique; Chriſti
Nuntius & viuis, nuntius & ſtygijs.


In Feſtum Zonæ B. Virginis.

LOnga incorruptam quòd Zonā ſecula ſeruant
Virgo tibi, noua res nil habet iſta noui.
Integritas ſi venter erat, quem Zona ligabat,
Integra res ſemper integritatis erit.

SS. Martyribus Felici & Adaucto.

CVi ſcriptum in cœlis nomen, ſine nomine martyr,
Felici iunctus nomen Adauctus habet.
Sic habet alterüter, quod dicitur alter; adauctus
Martyrio, & felix cum ſit vterque ſuo.

SEPTEMBER.



In Natalem B. Virginis.

NAſcitur è ſterili proles Dauidica lumbo,
Fœcundat mentes quæ tamen vna pias.
Naſcitur effœto capitis ſata ſemine cani,
Nec tamen antiquam contrahit vna luem.

Naſci-

Naſcitur Angelico monitu promiſſa parenti,
Promiſſa implentur qua pariente Dei.
Naſcitur, inque ſinu ſpectatur parua ſenili,
Virgineo Verbum quæ tulit in gremio.
Naſcitur, & matrem primam facit illa parentem,
Dum verbo fiat dignior ipſa parens.
Naſcitur, & ſolitus naturæ frangitur ordo,
Ordine quòd nullo concipit ipſa Deum.
Naſcitur, & ſentit non vllum infantile tempus,
Cur ſit mentis inops, quæ fuit arca Λόγου;
Naſcitur, atque oculos in ſe trahit vna Tonantis,
Et facit amplexus vt petat ille ſuos.
Naſcitur, & certa quod ſtabat mente repoſtum,
Illa Dei celeri fiat vt arte facit.
Naſcitur, æthereis & fit ſtupor vnica turmis,
Mentibus orta vt ſit purior angelicis.
Naſcitur, hancque videns grandæuus flebilis Adam,
In lumbis, inquit, cur fuit iſta meis?
Naſcitur, hancque videns grandæua & flebilis Eua;
Antidotum, dixit, filia matris erit.
Naſcitur, & vatum extemplo dixere phalanges;
Si non iſta foret, carmina vana forent.
Naſcitur, & Natura ſuos pertæſa labores,
Iam ſpes certa inquit, iam venit alta quies.
Naſci-

Nascitur, ac mundi depulsa è finibus infit
Gratia; depulsor nunc mihi nullus erit.
Nascitur, & clamat flammanti Lucifer ore;
Liber eram, nunc me ferrea vincla manent.
Nascitur, atque trahens imo suspiria corde
Pallida mors; actum est, pellitur Orcus, ait.
Nascitur, & ridet tellus, & ridet olympus;
Protulit hæc fructus, edidit ille sonos.
Quanta tuus Virgo dona ortus detulit orbi?
Quanta es, quæ nascens summa vel ima nouas?
Accipe de sterili venientia munera corde;
Da mihi, da Domino, te super astra frui.

In eundem.

VT primæuus homo rupit mandata, volarunt
Agmina virtutum protinus ad superos.
Nuper Virginitas se se subduxit olympo;
Deprehensa est magnis Nazaret indicijs.
Clamauit Gabriel; superi ne quærite Diuam;
In Mariam versa est edita Virginitas.

In eundem.

QVod sterilis, quòd anus, cano quod coniuge fœtum
Concipis, haud vni contigit Anna tibi.

Sed

Sed quòd te mater ſit nulla beatior, vna
Quam paris excepta, contigit Anna tibi.
Sic omnes vincis; nam quæ te vincit, & ipſa
Eſt tua; quod ſoli contigit Anna tibi.

In eundem.

AMbigitur, quo rerum opifex produxerit Orbē
Tempore, nec certis conuenit indicijs.
Tu facis hoc planum Virgo, dum naſceris Orbi
Orbis tu maior, quæ capis vna Deum.
Frugifer autumnus Mariam ſi protulit; ergo
Qui tulit & magnum, protulit & minimum.

In eundem.

SI qua genethliacos cœli vis indicat ortus,
Stellarum Dominam ſtella creare poteſt?
Luna cui ſubſit, cui Sol ſit fulgida veſtis?
An dare ſe maius ſtella citata poteſt?
Ipſa dedit ſtellas cœlo quæ naſcitur, ipſa
Sedibus æternis ſidera mille dabit.

In eundem.

QVis te Virgo vterus geſſit, quo ſemine nata es?
Quæ potuit Diuam mater habere ſuam?

At fœmellæ, aiunt, non est natura creàtrix
Sponte; quis hoc nata Virgine crediderit?
Si non Virgo foret, rerum natura ruisset;
Sed stat, dum natæ nata sit ipsa suæ.

In eundem.

SVbsidium formata viro noxam Eua creauit;
Altera formatur fœmina præsidium.
Vnde sibi tantas assumpsit fœmina vires,
Vna vt vitam homini ferret, & vna necem?
Sic fraus elusa est Satanæ, sic vincere iustum;
Vt qua victus homo, victor & ipse foret.

In eundem.

VNam condiderat cunctis animantibus arcã
Noe pater, tellus cum premeretur aquis.
Humano generi scelerum crescentibus vndis,
Arca per Oceanum nulla salutis erat.
Ergo Deus Mariam quæ conderet omnia, condit;
Et se se, vt placuit, condidit ille simul.

In eundem.

NAscitur, & solitus mihi rerũ flectitur ordo;
Parturit, & rerum vertitur ordo mihi.
Vnius è costa formata est fœmina, rursus
Concipit absque viro fœmina sola virum.

Non

Non Deus eſt, inquit Natura, vel indice ſexu;
Non Deà; quid tandem? quæ nouat, & renouat.

In eundem.

OBruta cum rerũ tenebris horreret abyſſus,
Lux venit, ſed non corpore fixa ſuo.
Obruta cum tenebris horreret machina mundi,
Lux tu Virgo venis, corpore fixa ſuo.
Si tua lux tanta eſt, dum te Annæ viſcera fundũt,
Qualis erit, Solem cum paritura dabis?

B. Virgini: Ioſeph virum Mariæ.

VLtima factarum res eſt homo condita rerũ,
Cunctarum imperio primus vt ille foret.
Vltima tu ſerie numeraris Virgo parentum,
Omnibus vt poſitis ſit tibi ſummus honor.
Et Dominus brutorum Adam; tibi ſubdita, Virgo,
Omnia, cui voluit ſubditus eſſe Deus.

In eundem.

VNa ſuos natos mulier non nata peremit,
Nata ſalus natis omnibus vna fuit.
Illa vorans fructum fructus ſibi perdidit omnes,
Hæc fructu ventris fit medicina ſui.
Non natum non nata virum mox illa necauit;
Nata ſemel, natum bis facit iſta Deum.

In

In eundem.

PVngente è dumo quòd ſit roſa myſtica Virgo,
Quid mirer? mater ſpina dat vna roſas.
Sed roſa quod ſpinam cogat miteſcere matrem;
Hoc, Natura inquit, lex mea non patitur.
Nam flos ipſe trahit vim de radice, ſed ortus
Vim dat radici flos noua Virgo ſuæ.

In Octauam eiuſdem.

LVx octaua dedit Mariæ ſi nobile nomen,
Albo ſignanda eſt indice ſacra dies.
Nam ſua nominibus cum ſit vis indita ſacris,
Vnum hoc, quicquid habent omnia, nomē habet.
Dixiſti Mariam, dixiſti hoc nomine Ieſum;
Vt flecti ad Mariam debeat omne genu.

In eandem.

SI decet auroram Virgo te dicere, dicam;
A te principium quod capit vna dies.
Vna dies luxit te exoriente ſalutis,
Tollere quam tenebris veſpera nulla poteſt.
Vna dies hæc eſt, Domino quæ facta vocatur,
Et facta hæc factum fecit & ipſa Deum.

In eandem.

NOn fuit apta quies Plastæ lux ſeptima, nec dum
Virgine quod nata mundus abyſſus erat,
Apta quies Plastæ lux eſt, qua naſcitur illa,
Naturæ lucem quæ dedit & ſpeciem.
Apta quies Plastæ lux eſt, qua prodijt illa,
Fuſa in quam virtus eſt operoſa Dei.
Quis labor has Verbo res condere? condere, Verbũ
Quæ totum caperet, viſque laborque fuit.

B. Virgini Conſtantinopolitanæ.

ILla Vrbs, imperij quæ facta colonia magni,
Nominis inuiſi ſceptra nefanda gerit.
Auſpicijs Regina tuis, ceu regia creuit;
Et te tutelam legerat illa ſibi.
Suppetias tu ſæpe illi vel ſponte tuliſti,
Et duce te victrix extulit illa caput.
Illic æternæ Sophiæ admirabile templum,
Virginis & centum viſere templa fuit.
Nunc, heu, ſtridentum latebræ ſunt illa ferarum,
Et Sophiæ templum thracius horror habet.
Quid ſtas Virgo potens? tua ſunt quæ fœda tyrannis
Occupat; vt repetas, ferueat ira tibi.

Eijce

Eijce tu natum, verus quo pellitur hæres,
Ancillæ dominam te fugientis Agar.
Plus te quippe decet Reginæ iura tueri,
Quam mala nos deceat crimine digna pati.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΕΝ ΛΑΥΡΗΤΩι ΟΙΚΟΝ τῆς παναγίας.

Οἶκος θεουργός, καὶ θεόδμητον τέγος,
Ἐκ Ναζαρὲτ μέτοικον ἁγνῆς παρθένου,
Ἐν ᾧ Κόρη πάναγνος ἣν στείρας γόνος,
Ἐν ᾧ τὸ χαῖρε Γαβριὴλ διηγόρευ,
Ἐν ᾧ Λόγος σὰρξ ἱερῶν ἐξ αἱμάτων.
Ἄνθρωπε φρίξον, οὐρανοῦ μυχὸν βλέπεις,
Μυστηρίων ἄβυσσον, οἶκον θαυμάτων.

ΕΙΡ ΤΗΝ ΓΕΝΝΗΣΙΝ ΤΗΣ ΠΑΝΑΓΙΑΣ.

Ὑμνέομεν κούρης ἱερὸν τόκον, ἥν ποτε μήτηρ
Γείνατο σεμνοτάτων ὄψιμος ἐκ λαγόνων.
Ὀμφὴν δεξαμένη πανετήτυμον ἀγγελιώτου,
Ὑψόθεν εἰς Σολύμων γαῖαν ἀφιπταμένου.
Ὑμνέομεν γεραρῶν βασιλευτάτων ἔρνος ἀνάκτων,
Δαβίδου γενεῆς ὄλβον ἀπειρέσιον.
Κεῖνος Χριστοπάτωρ ἀπείρεν Θεομήτορα κούρην,
Ἄσπορον ἧς μήτρη φόρτον ἔδεκτο Λόγον.

Ηδυ-

Ἡδυλύρης βασιλεὺς, λιγυροῖς κελαδήμασι μέλπων
  Παιδὸς ἑῆς ἀρχᾶς σκῆπτρα πανκρατίου.
Ὑμνέομεν κούρην, ἣ παγγενέτειρα φαάνθη,
  Φύτλην ἀνδρομέην αὖθις ἐνεγκαμένη.
Ἐλπίδος ὀλλυμένης παλινάγρετον ἣ θέτο μοῖραν,
  Φωσφόρος αἰτήλων νυκτιπλανόισι δρόμοις.
Ὑμνέομεν κούρην, τῆς δ' ἡ πατέρεια γενέθλη
  Καὶ βίος ἦν θνητοῖς, καὶ μόρος ἦν ἀΐδη.
Τληπαθέος θύγατρ' Ἀδάμου καὶ ἀφραδμόνος Εὔας,
  Ῥῦπον δ' ἐκ προγόνων πάμπαν ἀπωσαμένην.
Ὑμνέομεν σφρηγῖδα τύπων παναμύμονα κούρην,
  Αὐτοαληθείης μητέρα φεγγοβόλον.
Χαῖρ' Ἄννη χαρίεσσα, γέρον θεοείκελε χαῖρε,
  Χαίρετον ὀλβίσῃ ἄμφω ἐπωνυμίῃ.
Ἁγνοτάτης γενέται Μαρίης, ᾗ γούνατα κάμπτει
  Φῦλα τε γηγενέων, φῦλα τε αἰθερίων.
Αὐτὴ χαῖρε κόρη, σοὶ σπένδομεν ἤματα πάντα
  Βυσσόθεν ἐκ κραδίης νοῦν τε δέμας τε φίλον.
Σπένδομεν ὅσσα νόος τε φέρει, καὶ γλῶσσα μελίσδει.
  Ἀντίδος ὑμετέρην παμβασίλεια χάριν.
Δοίης πικτομένην δέμας ἄρτιον, ἔμφρονα θυμόν,
  Δοίης ἱπταμένην σὸν κλέος εἰσορᾶαν..

S. Euphemiæ Virg. & Mart.

BIs Christo testis visa est Euphemia Virgo,
Et lacerata feris, & lacerando feras.

Esse Deum Christum testata est sanguine fuso;
Compositum, scisso codice perfidiæ.
Bis martyr, duo fert & stemmata Virgo magistra,
Naturas Christo quæ docet esse duas.

In Exaltationem S. Crucis.

FErre Crucis pœnam ciues Romana vetabant
Iura, Crucem ferri lex tua Christe iubet.
Iam Crux vna salus, Crux ciues scribit olympo,
Crux libertatis sarcina perpetuæ.
Crux olim exaltans, nunc exaltata triumphat;
Lex homini, cælo lux noua, crux Erebo.

In eandem.

VT Crucis oblatæ populus spectacula vidit,
Horruit, atque imo protulit ex animo.
Κύριε *nos* ἐλέησον. *& ingeminata sonabat*
Sola hæc cum lacrymis vox, Miserere Deus.
Sic quæ olim potuit sensum ipsis indere saxis,
Nunc stupidas mentes Crux tua Christe facit.

In eandem.

INuehitur Solymam gemmis ornatus & auro
Rex pius, atque humeris baiulat ipse Crucem.
Quid facis Heracli? non vna est pompa triumphi;
Omnia Crux ornat; pompa fit ipsa sibi.

Ergo

Ergo immotus eris, dum fias portitor aptus:
Cum tibi neglectus Rex eris, aptus eris.

In eandem.

EXaltatus eras inter tu Christe latrones,
Et bacchantis eras ludibrium populi.
Ast tua Regum humeris Crux exaltata triũphat,
Et populi voces magnificantis habet.
Sic tua dicta imples; namque exaltatus vt ante,
Quæ non traxisti, nunc tibi cuncta trahis.

In eandem.

CRux te Christe suo exaltauit stipite fixum,
Exaltata tuis Regibus illa micat.
Hærebas pendens tu Rex inglorius illi;
Illam ornat meritis gloria summa tuis.
Illa tibi dederat genus execrabile mortis;
Tu vitæ vt lignum dulce sit illa, facis.
Tu mala cuncta Crucis, bona Crux de te omnia traxit;
Victor vt & victrix vnus & vna foret.

S.Cypriano Mart. Episc.Carthag.

REprobat hæreticum Cypriani dogma lauacrum;
Error & hæreticus non facit hæreticum.

Ergo lauandus erat duplici baptiſmate, primus
Qui Baptiſma alijs iuſſerat eſſe duplex.
Et prius ille vnda, fuſo poſt ſanguine lotus,
Stemma ſibi doctor, ſtemmaque martyr habet.

S. Ianuario Mart.

MArtyris ad ſacrum caput ebullire cruorem
Fama eſt patroni Parthenopæa tui.
Voce ſua loquitur fuſus poſt funera ſanguis;
Non moritur, vitam qui tibi Chriſte dedit.
Clamat ſanguis Abel, clamat tuus inclyte martyr;
Ille Deum iuſtum poſtulat, iſte pium.

Eidem.

CErnere concretam fas eſt in vaſe cruorem,
Qui mox ferueſcens incipit eſſe liquor.
Quis calor expellat concreto è ſanguine frigus,
Si quæras; nihil eſt, quo magis obſtupeas.
Vt capiti obijcitur glacialis maſſa cruoris,
Soluitur, & clamat; ſum tibi viuus ego.

Eidem.

FEruet obirati circum præcordia ſanguis;
Aſt tibi ferueſcit, dum caput obijcitur.
Parthenopes patrone potens; ſenſumque reſeruat,
Agnoſcit præſens quod caput ille ſuum.

Non

Non sit homo puluis; cessat sententia Plastæ,
Si cineres sensu post sua fata vigent.

Eidem.

TErra bibit fusum scelerato à fratre cruorem.
Non bibit ô martyr Parthenopæe tuum.
Ille querebatur nullo se crimine fusum,
Sed tuus obiecto clamitat hæc capiti.
O caput, vt vellem iam Christi effusus honori,
Effundi toties, te quoties video.

Eidem.

VIdimus attoniti gelidum feruere cruorem,
Vt caput ampullæ cominus obijcitur.
Viuorum tu Christe Deus; nec sanguine martyr,
Sed sanguis viuit martyris officio.
I nunc, qui rerum causas certo ordine quæris;
Desine iam sapiens, si sapis, esse tibi.

Eidem.

OPpositu capitis feruet cruor inclyte Martyr,
Cum tibi sit nomen frigoris oppositi.
Hyberni nam frigus habes in nomine mensis,
Et tamen in gelido sanguine feruor inest.
Si calet in gelido tantus tibi sanguine feruor,
In calido feruor sanguine quantus erat?

S.Matthæo Apoſtolo & Euang.

SEdulus ad menſam exactor Matthæe ſedebas;
Exactor Chriſtus tunc fuit ipſe tui.
Exigis è toto partem, totum exigit ille;
Das totum, totum qui tibi non tuleras.
Hinc Scriba, hinc Chriſtum martyrque & Apoſtolus idem
Fers, ſequeris, ſcribis, ore, cruore, manu.

Eidem.

ELigis ad morbos animorum Chriſte fugãdos,
Quos morbo oppreſſos deteriore vides.
Ergo teloneo legitur Matthæus ab ipſo,
Totam vt auaritiam pellat auarus homo.
Quæ tua vis Chriſte eſt? medicam vim ſufficis ægro;
Et ſat vt ipſe velis, & ſimul ille velit.

Eidem.

PInguia Matthæus præbet conuiuia Chriſto,
Sed ſe ſe ille epulum pinguius ante dedit.
Dulce illic acroama fuit, ſymphonia dulcis;
Et ſi perſtrepuit murmur Hebræe tuum.
Non ſe Chriſtus ait iuſtis ad regna vocandis,
Sed peccatorum mercibus eſſe datum.

Eidem.

OMnia proijciens iuuenis te Christe vocantē,
Quod locuples fuerat, noluit ille sequi.
Omnia proijciens Leui, te Christe vocantem,
Quod locuples fuerat, maluit ille sequi.
Quod Matthæus agit, virtus humana negabat;
Tanta sed hæc virtus tota vocantis erat.

Eidem.

ET piscatores, & lucri Christus amantem
Aduocat, ars etiam par vt vtrisque foret.
Illi homines capiunt, hic scribit fœnore multo,
Et genus enarrat nobile Christe tuum.
Sic Petre piscando, sic tu Matthæe talenta
Cogendo, æternas multiplicastis opes.

Eidem.

OMnia qui potuit voce vna condere Christus,
Vna Matthæum voce potente trahit.
Vox non ista minor, quam vox quæ condidit Orbē;
Illa creat, lucem procreat ista nouam.
Et luce hac rerum non ornamenta videmus,
Sed de stirpe Abrahæ cernimus esse Deum.

Eidem.

PRogeniem Christi scribis Matthæe secundam,
Et calamum exerces primus Apostolicum.
Hinc tibi lucrandi ars non est seclusa vocato,
Mutata in melius sed fuit illa tibi.
Ergo lucra facis, non quæ nummaria præstat
Mensa, sed immensa quæ cumulantur ope.

Eidem.

DVm sacrũ Matthæe facis, fis hostia Christo,
Hostia quod facta est Iphigenia Deo.
Candor Apostolicus sic te moriente rubescit,
Et Baptismo albos cernimus Aethiopas.

S.Mauritio, & socijs Mart.

IMpia Thebæus dum despicit orgia miles,
Sponte datur vero victima vera Deo.
Militis insolitam pietatem vt vidit Olympus,
Hæc, ait; hæc sedes turba replet vacuas.
Dum mihi paulatim ciuis venit vnus & alter;
Ipse, quod inuideam, plenior Orcus habet.

S.The-

S. Theclæ Virg. & Mart.

IGnem Thecla, feras, tauros contempſit & angues,
Imbre, fide, merito, pectore virgineo.
Diſcipulam Pauli quis non agnoſcat in iſtis,
Cum pariter ducant omnia pro nihilo?

Eidem.

VT ſit fœmineo ſub corpore maſcula virtus,
Omnipotens etiam vis tua Chriſte facit.
Thecla ſequi Paulum mauult, oblita maritum;
Fortior illa igni, fortior illa feris.
Non tam imbre abſumptus, quam Theclæ eſt ignibus ignis;
Fert hæc ardentem ſi tibi prima facem.

Eidem.

PRima tui ſexus numeraris fœmina martyr;
Et Stephano Saulus, dux tibi Paulus erat.
Se Paulum puduit patrati criminis; ergo
Tantundem vt reddat, te ſociat Stephano.
Ignea ſic Thecla es, Paulus quod feruidus ignis,
Quid mirum, ſi te non vorat ignis edax?

S. Cypriano.

QVærenti magicas Cypriano à dęmone vires;
Quid tu quæris ait? non capit vna duos.
Et Venus, & Christus totum occupat; eijce Christũ,
Si potes, & Venerem mox ego subdo meam.
Ille; sed hoc, inquit, non posse est: poscis, vt inde
Possis: quid fatua ludimur arte? vale.

SS. Martyribus Cypriano & Iustinæ.

QVod Iustina negat, Dæmon se posse negauit;
Dæmonibus cultum tu Cypriane negas.
Tu bene retraheris, se contrahit inclyta Virgo;
Dum trahitur solita non trahit arte Satan.

Eisdem.

ILle voluptatis qui furtim irrepsit in hortum,
Fudit & in miserum prima venena genus.
Se nihil in magicis Cypriano posse fatetur,
Dum viget in sancta Virgine viua fides.
Quid quæso hoc, Christo nisi quòd reparãte ruinas,
Serpentem extrudens est paradisus homo?

Eisdem.

Eiſdem.

VErſutum Satanam Cyprianus conſulit, artis
Vt ſe ſe antiquæ copia deficiat.
Non obſcura dedit reſponſa vaferrimus ille;
Sed me Chriſtus, ait, reddidit inualidum.
Hic tu Phæbe taces ſolitis ambagibus vnum,
Iuſtinæ ab ſumma Virgine ſuppetias.

Eiſdem.

THoracem fidei valido qui pectore geſtat,
Nec vi, nec vinci dæmonis arte poteſt.
Omnia vincit amor, ſed nudos pectora vincit;
Et Iuſtina meas fœmina ludit opes.
Qui bene mentitur, Cypriano hæc vera locutus;
Imprudens, moneo, dixit, & ingemuit.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΑΣΚΗΤΗΝ ΝΕΙΛΟΝ, πατέρα καὶ καθηγεμόνα τῶν ἐν Κρυπτοφέρρῃ Μοναχῶν.

ΚΑΙ πολλὰ τοῖς πρὶν πανσόφων μύσαις λόγων
Ισμεν γραφέντα θαύματος μείζων πέρα.
Βίον δὲ τὸν σὸν παμμάκαρ Νεῖλε ξένη,
Ξένη γραφὴ δίδωσι μυστικὸν τέρας,
Εκπλῆττον ὦτα, καὶ νόας πολυτρόπους.

Ηνεγκεν

Ἤνεγκεν ἄνδρας αὐσονὶς χώρα πάλαι,
Ἤνεγκεν Ἑλλὰς Ἰταλὶς σοφὸν γένος,
Οἳ πάντ' ἀριθμοῖς συμβόλοις τε ποικίλοις
Πλέξαντες, αὐδὴν εἶχον ἐξ αἰνιγμάτων.
Καὶ σὺ ξένης πέφυκας Ἑλλάδος γόνος,
Ἑλλὴν Καλαβρεὺς, ἄκρος ἄκρων ἐκ δύο,
Καὶ γὰρ θεωρῶν ἄκρος, ἄκρος καὶ βίῳ,
Ἄκρος παλαιστὴς, καὶ γελαστὴς δαιμόνων,
Ἄκρος νεκρωτὴς ψυχικῶν παθημάτων,
Ἄκρος μαθηταῖς ἡγεμὼν μακαρτάτοις.
Ἰσάγγελος, πρώταρχος ἄκρων ποιμένων,
Γραικοῖς κανὼν ἄριστος ὀρθῶν δογμάτων.
Ὑπερφρονῶν ἅπαντα, πλὴν ψυχῆς μόνης·
Γελῶν ἔρωτας ἐμπαθεῖς χρυσοφρόνων·
Κόμπον γελῶν ἅπαντα τὸν κόσμου μάκαρ,
Ἰσοστατεῖς μάκροισι τοῖς Ἀντωνίου,
Παύλου παραλλήλοισι Θήβης ἐμπρέπεις.
Ὦ Νεῖλε Χριστοῦ ναμάτων χρυσορρόων,
Ὦ Νεῖλε θνητοῖς χειρορρύτων θαυμάτων.
Εὐχαῖς πάτερ σκέπαζε σαῖς θεοκλύτοις
Μονὴν, μοναστὰς ζηλήμονας σοῦ βίου,
Καὶ σοὶ τάδε γράψαντα παρὰ μονῆς δόμῳ.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΑΣΚΗΤΗΝ
Βαρθολομαῖον.

Κάλλιπε δέρμα λύκειον ἐόν ποτε Βαρθολομαῖος,
Κἀντὶς ὅλην ψυχὴν Βαρθολομαίου λίπε.

Τέθνας

Τέθνακε κεῖνος ἅπαξ, σοὶ δ' αὖ μόρος ἔπλετο πάντη
Μυρίος, εἰς βιοτὴν σαρκὸς ἀπολλυμένης.
Ω πάτερ, ὦ μεγάλῳ σύμπνοος καὶ σύντροφε Νείλῳ,
Ω Καλαβρῆς ἀστὴρ Βαρθολομαῖε πάτρης.

SS. Martyr. Cosmæ, & Damiano.

VNa tulit fratres vtero Rebecca gemellos;
Sors tamen ad vitam non tulit vna duos.
Cernimus at medicos meliori sorte gemellos;
Nam quod habet Cosmas, hoc Damianus habet.
Vnit amor fratres, amor vnit martyres ambos,
Et Christi amplectens hos simul vnit amor.

Eisdem.

NOn aliam Christus, medicam sed cœlitus artem
Intulit; & morbos expulit innumeros.
Sic quam Christus opem, Cosma & Damiane tulistis;
Fratres consimiles dotibus, arte pares.
Nomine percelebri fueratis ἀνάργυροι *olim,*
Aurea nunc estis lumina Cœlituum.

S. Michaeli Archangelo.

AEreas victor depellis ab arce phalanges,
Duxque triumphanti præcinis ipse Choro.

Olim

Olim Iudaicæ, nunc ò fortissime Custos
Augustæ gentis Christicolum Michael.
Qui tumidum poteras cœlo exturbare Draconem,
Quæ terris infert, bella fugare potes.

Eidem.

SEdibus extrudis fœdissima monstra beatis,
Et Draco te magnus præcipitante ruit.
Nunc hominum Ductor cœlestia regna petentum,
Restituis ciues sedibus æthereis.
Tellus ergo tibi cælos, terram implet olympus;
Et facis hinc Michael omnia plena Deo.

Eidem.

BElla premunt hominem, quod sit miser incola mundi;
Et quod ficta luto sit caro, bella premunt.
Bella premũt, quæ sæua Draco exturbatus olympo
Excitat; vndique mors, vndique bella premunt.
Affer opem Michael, regnis præfecte beatis;
Et tanti virtus nominis extet opus.

Eidem.

TEla iacis Michael, dũ laruis æthera purgas;
Et nunc de montis vertice tela iacis.

Ira

Ira sed in mentes extorserat illa rebelles;
Hæc amor vt iacias tela retorta, facit.
Scilicet & bello Michael, & pace triumphas;
Et solus Christi tela ministrat amor.

Eidem.

ILle Draco, summa Michael quē victor ab arce
Depuleras, homini mox fera bella tulit.
Crediderim misero custos si ad bella fuisses,
Nunquam serpenti succubuisset homo.
Ille semel victus perijt, tu vincere victum
Sæpe potes; si vis, nunc homo victor erit.

Angelo Custodi.

ANgele qui custos, dux, & comes impiger astas,
Præcepta & monitor das mihi tuta viæ.
Quas tibi vel referam, vel agam pro munere grates,
Qui vel patrantem crimina non refugis?
Sis mihi perductor, quò nunc præis optime ductor;
Et quò non flector te duce, pertrahito.

Eidem.

ME tua felicem reddit custodia custos
Angele; te miserum, si licet, illa facit.

Nam-

Namque ego sum tanti, iuuenis cui regius adsit;
Tu quod ago spectans, omnia fœda vides.
Sed quia fixa tibi stat gloria, pertrahe custos
Quo tua vis, non quò me mea facta trahunt.

Eidem.

IAnua ne miseris Paradisi optata pateret,
Detinuit custos Angelus ense fores.
Angelus, vt cœli pateat nunc ianua, custos
Cuique suus Christo præcipiente datur.
Magnus honos animæ, tua virtus Angele maior,
Sed longè est pietas maxima Christe tua.

S. Hieronymo.

QVid tibi per rupes, syluasque Hieronyme quæris?
Marmore cur pectus tundis & ipse tuum?
An quod nil humano est corde fugacius, illud
Quæris & interius, quæris & exterius.
O te felicem, qui cor dum quæris, & ipsum,
Et cordis Dominum cordis in arce tenes.

Eidem.

OMnia perlustras, deserta Hieronyme quæris;
Præsepe ad Christi sed datur alta quies.


Nec

Nec tu ciuis eras mundo, nec patria mundus.
Nimirum tu illi mortuus, ille tibi.
Ad Christi cunas tam viuis, vt omnia solus,
Quæ vetus & noua dat pagina, reddideris.

Eidem.

QVanta tibi fuerit virtus Hieronyme, certus
Et labor est index, actaque vita tibi.
Vt nouus esset homo tibi mens, te tradis eremo;
Et rem Scripturas perficis ipse nouam.
Et fieri quod posse negant, vir maxime præstas;
Bis noua quæ noua sunt, & vetus esse nouum.

OCTOBER.



Dominica prima Octobris.

CVm foret in Cœlo pugnandum, prælia fecit,
Purgauitque malis æthera dux Michael.
Sed cum classe foret pugnandum, prælia fecit
Regina, & fudit barbaricas acies.
Pace sua fruitur semel expurgatus olympus;
Bella hic, quod semper sint noua, Virgo gerit.

B. Virgini.

COnteris vna caput ſinuoſi Virgo Draconis,
Illius, in terra qui maledictus erat.
Alter erat latitans ſub aquis; confringis & illi
Nunc caput, & Claſſis barbara conteritur.
Serpit adhuc proles, funditque aconita draconum.
Hoc genus horrificum perdere ſola potes.
Næ tibi tunc pia plebs precioſa roſaria nectet,
Cum Draco dente roſas rodere non poterit.

Eidem.

NExuit è ſtellis æther epinicia ſerta,
Quod ſua ſint meritis damna refecta tuis.
Terra roſas nectens tibi dat Regina coronas,
Barbara quod meritis vicerit arma tuis.
Vtra placere magis dicam? ni fallor, odores;
Omnia ſi Virgo floris odore trahis.

Eidem.

SAbbata ſanctifices, diuina oracula mandant:
Qui te Virgo colit, ſabbata ſanctificat.
In te rerum Opifex obtectus carne quieuit;
Tu ſis, iuſta Dei cum furit ira, quies.
Sabbata ſi Chriſto, ſi tu das ſabbata nobis;
Qui te Virgo colit, ſabbata ſanctificat.

Eidem.

Eidem.

SAbbata Virgo dabant post senos otia soles.
Quam benè sunt meritis illa dicata tuis?
Otia tu cœlo, tu præbes otia terris,
Omnia dum sancto fœdere pacificas.
Pacem hostis turbat, terrarum & sabbata tollit,
Regina imperio comprime bella tuo.

S. Francisco.

PAuperies inuisa aliјs, inuisa superbis,
Vni Francisco delitiosa placet.
Est noua sancta tua hæc Francisce superbia, velle
Extrema cunctos vincere pauperie?

In Stigmata S. Francisci.

QVæ sibi seruarat rediuiuo stigmata Christus,
Hæc Francisce tibi multus inussit amor.
Figere se Christus voluit, cum vulnera fixit,
Cor Francisce tuum Christus vt ipse foret.
Ergo is se infixit, tuque es mutatus in illum;
Nec constat, tu nam, Christus an ipse fores.

In eadem.

SIgna tulit fidei, qui rasa est pelle notatus;
Intima Franciscus vulnera, signa tulit.

Credidit ille Deo, se se Deus imprimit isti;
Ille pater, Christi signifer iste fuit.
Illius è lumbis fluxit gens noxia Christo;
Hic Crucis athletas procreat innumeros.
Ergo pater dici non debuit iste Minorum.
Omnia Franciscus si potiora tulit.

In eadem.

QVinque talēta alijs, vt debita lucra reportēt;
Christus Francisco stigmata quinq. dedit.
Vulneribus lucrum Franciscus vulnera reddit,
Dum iaculis Christi vulnerat innumeros.
Et Duce Francisco de se pia turba triumphat,
Hæc quoque vulneribus saucia Christe tuis.

In eadem.

QVi me, inquit, sequitur, se se prius abneget ille;
Meque sequendo, crucem tollat & ipse suam.
Res noua; namque Crucem Franciscus stigmata portans,
Non fert Christe suam, sed gerit ille tuam.

S. Francisco.

PRima, inquit, nudum; mater fert altera nudū;
Bis nudum corpus Iob sibi conqueritur.

Ter

Ter nudum eſt Franciſce tibi, dum veſte paterna
Te nudas, & vis filius eſſe Dei.
Non ſatis hoc; quarto te nudas ordine. Quid te,
Dum te ipſo nudas, nudius eſſe poteſt?

Eidem.

NIxa Petro vt petra tota eſt Eccleſia Chriſti,
Vt portis Erebi fortior illa foret.
Tu tamen hãc humeris fulcis Franciſce labantem;
Nec ſinis, vt varia Dæmonis arte cadat.
Ergo baſis Petrus, tu fixa columna vocandus,
Si ſtetit amborum viribus vna domus.

Eidem.

MErcibus humanis nondũ Franciſce relictis,
Mercator regni non pereuntis eras.
Totus vt hoc fieres, das omnia, reijcis aurum,
Et veſtem, & patrem proijcis ante patrem.
Proijcis ipſam animam. Sic tu non amplius idem,
Nudæ nuda icon ſed pietatis eras.

Eidem.

TE, tua quæque, tuos ſic tu Franciſce negaſti,
Vt iam Chriſtum in te cerneret omnis homo.

Sic tua quæque negas, vt crux, quã stigmate gestas,
Non tua sit, sed crux, quam tibi dat Seraphim.
Sic nescis Francisce tuos, vt viuere solus
Et sine patre queas, & sine matre queas.
Si tu non es tu, tua non tua, quis, quid eris tu?
Non Christus, verum Christificatus homo.

Eidem.

NAturam vt capiat rerum, mens vndique purgat,
Et rem denudat pluribus appositis.
Nudatum hac etiam Franciscum comperit illa;
Quodque est, non hominem mens stupefacta videt.
Omnis homo Plastæ diuina est, inquit, imago;
Franciscus passi viuit imago Dei.

Eidem.

QVam vehemens accensus amor? transformat amantem.
Quid? quod sæpe notas solus inurit amor?
Fœmina concipiens fœtum signauit amando.
Sic Francisco vnus vulnera fixit amor.
Nam Christum dum totus amat, dum concipit vnum,
Concepti in speciem fit crucifixus amans.

Sic amor optatam trahit in rem pectus amantis;
Et fit totus amans, res quod amata fuit.

S. Placido.

IMplacidi Placidus non audit verba tyranni,
Sed placitis hæret Christe tuis placidus.
Aestuat in Placidum latro implacabilis ira;
Pœnas, & mortem fert placidè Placidus.
Nunc placida Placidus fruitur regione piorum,
Manucha pœnis plectitur implacidis.

S. Dionysio Areopagitæ.

DIxerat is, viuo patuit cui tertius æther;
Audiui quæ non fundere verba licet.
Non alijs, sed mi liceat Dionysius inquit;
Et scripsit, quæ non scribere verba licet.
Quis te hominem dicat Dionysi, mystica soli
Si tibi supra hominem scribere verba licet?

Eidem.

CEcropiæ princeps sophiæ, Pauloque docente
Discipulus Christi fert tibi Galle fidem.
Et postquam iecit diuini semina verbi,
Præcisum manibus fert tibi Galle caput.
Quid monstri hoc? risere alij, sed credidit ipse
Surgere qui moritur; sic stetit ergo cadens.

Eidem.

IGnotum patitur numen, Dionysius inquit;
Ignotum coluit numen Ericthonius.
Numinis ignoti Paulus miracula narrat,
Et facit ignotos pluribus ille Deos.
Nox erat; ignota hæc, quæ sunt notissima fecit;
Ignotum ignotum Sol noue Paule facis.

Eidem.

EXsectum Pauli caput est ter voce locutum,
Et Pauli mystes fert caput ipse suum.
Huic corpus capitis, caput illi corporis expers;
Attamen exercet munus vtrumque suum.
Sic re ipsa Paulus, sic & Dionysius inquit;
In me iam Christus, non ego viuo mihi.

Eidem.

SOl & homo generant; negat hunc Dionysius ortum;
Pauli luce, & Phœbi hic tenebris oritur.
Ni foret eclipsis, nunquam Dionysius esset;
Sed supplet tenebras lux tua Paule nouas.
Te lucente tuus lucet Dionysius orbi,
Vno vt sint Soles deficiente duo.

Eidem.

Eidem.

ADuersam Phœbo Phœben Dionysius olim
Subdere se plenam vidit, & obstupuit.
Obstupuit; trepidoque aiunt, hæc protulit ore;
Ignotus patitur, qui mouet astra Deus.
Audijt vt Paulum; scio iam, scio, protinus inquit;
Quis, cui, quid passus, sic mouet astra Deus.

Eidem.

TRes tibi Christe oriens, moriens vnum attrahis arte
Vna, stellarum motibus insolitis.
Illi dona tibi nascenti trina tulerunt,
Hic trabe suffixo se tibi dat moriens.
Illi primitias, Dionysius omnia donat.
Sic liquet, vt moriens omnia Christe trahas.

Eidem.

INtuitu rerum fas est cognoscere numen;
Si res deficiant, non liquet esse Deum.
Deficiente tamen Dionysius ordine rerum,
Cæpit cum passo corpore nosse Deum.
Quid tandem faceret pro Christo, & scriberet ille,
Vt potuit Pauli lumine nosse Deum?

Eidem.

Eidem.

MIrata eſt Regem Regina, quòd ordine miro
Omne miniſterij diſpoſuiſſet opus.
Confuſo admirans Dionyſius ordine rerum,
Cognouit fractorem ordinis eſſe Deum.
Rege magis ſapiens, Regina oculatior illa,
Dum ſapiens, dum ſit non manifeſta videns.

Eidem.

NOn lingua, aut hominum Dionyſius arte locutus,
Senſibus eructat myſtica verba nouis.
Vix capit attonitus quædam veſtigia lector,
Et ſe reptantem mente fatetur humi.
Et quid, ait, nobis, fandi quibus arcta facultas?
Scribenda hæc fuerant mentibus angelicis.

S. Lucæ Euang.

TAm bene qui ſcribit, bene pingit, perbene curat,
Pingendum ſpecie quis putet eſſe bouis?
An quia bos laſſus ſua plus veſtigia figit,
Hac merito Lucas pingitur effigie.
Imprimat vt penitus partum mihi Virginis, illum
Pictura, & verbis exprimit, & calamo.

Eidem.

Eidem.

QVæ ſcripſere alij, Luca perſcribis & ipſe;
Et ſcribis, ſcriptor quæ ſibi nullus habet.
Scribis quæ docuit, quæ geſſit corpore Chriſtus;
Scribis quæ cætus geſſit Apoſtolicus.
Muta hæc; ſed ſpirans Chriſti genitricis imago,
Solus, ait, Lucas pingere me poterat.

Eidem.

MAne lupus Saulus, largitor denique prædæ
Præconem voluit Paulus habere bouem.
Quæ bouis, atque lupi commercia? quas lupus eſcas
Diuidit, has graio bos notat eloquio.
Iungunt ſe vitulis Chriſto veniente leones;
Et bos atque lupus fœdere conueniunt.
Mira lupi, vis mira bouis; ſed munera Lucas
Dat bina; & ſcribit, pingit & effigies.

Eidem.

DVm Paulum Lucas audit, myſteria tradit,
Quæ terris Doctor raptus ad aſtra tulit.
Dum Mariam Lucas audit, myſteria tradit,
Quæ ſummo Gabriel miſſus ab axe tulit.

Omnia

Omnia de cœlo Lucas myſteria tradit,
Cœlo & plus tradit, Virginis effigiem.

Eidem.

DE medico medicus Luca noua pharmaca miſcens,
Morborum ex animo tu genus omne fugas.
Ignea nam Pauli dum ſcribis verba docentis,
Conficis æterni luminis hiſtoriam.
Omnis iure tuas laudes Eccleſia narrat,
Scriptoremque vocat lucis Apoſtolicæ.

Eidem.

SCribere qui potuit diuina oracula Chriſti,
Quæ Paulus geſſit, Virginis effigiem.
Hæc tria qui ſcripſit, non pictos arte colores,
Sed ſoles veri luminis ille dedit.
Poſſe manu fingi res viuas fabula finxit,
Hanc lucem Lucas intulit arte ſua.

Eidem.

SCriptor erat, pictor Lucas, & pharmaca miſcens:
Et tribus his mixtum quicquid agebat, erat.
Scribens pingebat, pingens curabat; & idem
Curando pictor, ſcriptor & almus erat.

Scri-

Scribens vera, & pingens viua, & morbida curās,
Tam varijs Lucas artibus vnus erat.

S. Hilarioni Abbati.

O*Mnia qui vincit, vitæ quoque vincit amorē,*
Ponere cum vitam maximus vrget amor.
Ergo non poterat vitam non ponere Christo,
Miris Christi ardens ignibus Hilarion.
Egredere ò anima, exclamat; sic ponere vitam,
Omnino est animam ponere Christe tibi.

Eidem.

N*On timet Hilarion, quin & mortem aduocat ipse;*
Non timet Hilarion, quod timet omnis homo.
Egredere, egredere, aiebat; non cæca subibis
Tu loca, sed patriam mens fruitura petes.
Frustra olim dictum; Mors vltima linea rerum;
Ianua mors vitæ est, clamitat Hilarion.

S. Euaristo PP. & Mart.

E*Variste iubes, luce vt commercia fiant;*
Fœmina nec nubat clam sociata viro.
Non alio poterat lex optima nomine tradi;
Optimus vt meritis optima iura dares.

S. Iudæ Apoſtolo.

QVod Thadææ ſimul magno ſis nomine Iudas,
Conſilio factum, non ego ſorte puto.
Factus homo Deus eſt præclaro è ſanguine Iudæ:
Infecit nomen proditor eximium.
Ergo pio decuit dici te nomine Iudam,
Nomen vt hoc ornet ſplendor Apoſtolicus.

S. Simoni Apoſtolo.

TV quoque Zelotes magno cognomine Simon,
Chriſtum toto animo nomen amantis habes.
Zelus erat nimius, tota vt ſit gloria Chriſti,
Falſaque falſorum nulla ſit ara Deum.
Heli: zelus cœleſtes intulit ignes,
Simonis zelus deuorat igne ſuo.

SS. Apoſtolis Simoni & Iudæ.

DIſperſas ſibi Chriſtus oues moriendo dolebat;
Sparſit, vbi victa morte reuixit, oues.
Et ſparſis ouibus diſperſa redegit in vnum,
Vnus vt vnum habeat paſtor ouile bonus.
Summa hæc Simonis, ſumma eſt hæc gloria Iudæ;
Quos benè diſperſos iunxit amicitia.
Namque timor primũ, dein ſparſit gloria Chriſti,
Et ſparſos iunxit gloria martyrij.

Domi-

Dominica iiij. Octobris.

FOemina te tangit, fluxus cui sanguinis ibat,
Flumen & exsiccat flumine Christe tuo.
Erigit hinc mulier statuam tibi pectore grato,
Et fons curandis mox fuit illa malis.
Vidit & obstupuit de saxo flumina Moses.
Tu frustra fontem fontis Hebrææ vides.
Effudit demum fontem tibi sanguinis ille,
Fontem tu tantum saxeus ire vides.
In nos ergo tuos fontes effunde bonorum,
Ne frustra fontes sint tibi Christe tui.

Dominica v. Octobris.

TE sumpsisse cibos Eleazare fingere nescis;
Sed vis, quem finxit te Deus, esse palam.
Sic ais, ad legis normam est fingenda iuuentus;
Vt ne fictum animum Spiritus effugiat.
O præclare senex, dum vis non fingere, fingis;
Et viuis, dum te viuere velle negas.

In Eleazarum Senem.

MAgna quidem virtus, patrios defendere muros;
Sed quanta est, patria pro pietate mori?


Illic

Illic ferro agitur, ſola hic patientia pugnat;
Victor ibi, hic pugnæ præmia victus habet.
Sed tua ſancte ſenex laus eſt Eleazare maior,
Pignora quod ſeptem ſic moriendo creas.

In ſtrenuum militem Eleazarum.

VAſta hæc, quam cernis, turrito beſtia dorſo,
Confoſſa hic ſæua cuſpide procubuit.
Ipſa ſui buſtum, buſtum quoque militis eius,
Qui ſtratæ oppreſſus pondere ſuccubuit.
Et cadis, & temet ſepelis Eleazere viuus.
Bis viuit, qui ſic ſponte ſua moritur.

NOVEMBER.



In templum Pantheon.

PAntheon hoc habuit falſorum turba Deorum,
Omnibus in ſanctis nunc Deus vnus habet.
Pantheon ergo potes templorum dicere templum,
Dum potes & ſanctos dicere templa Dei.
Quid plus eſſe ſibi ſtellatus iactat olympus?
Pantheon & Romæ totus olympus erit.

In

Die Festo omnium Sanctorum.

ARx est summa poli, dispar vbi mansio Diuû;
Hæc patria, hic requies, hanc sitit exul homo:
Sola vi capitur; si vis, cape, nitere, pugna.
Victor erit, quisquis vincere se poterit.
Arx igitur tantum, quantum vis ipse, resistet.
Tu tibi succumbes, tu tibi victor eris.

Eidem.

QVod genus hoc Patriæ? si vis, admittet Olympus
Te ciuem, dum tu non tuus esse velis.
Dum moriens viuas, tibi dum sis hostis amicus;
Dicere dum possis, non ego viuo mihi.
Motibus oppositis fertur, dum voluitur orbis;
Accipit & ciues motibus oppositis.

Eidem.

INstar Solis erit iustorum gloria fulgens,
Et cuiusque impar gloria solis erit.
Non capit hic vnum nisi Solem mundus; at illic
Tot soles, quot erunt, qui tibi Christe placent.
Offuscat lucem lux Solis magna minorem,
Fons ibi lux lucis summa minoris erit.

Qualis ibi Mundus, qui solibus vndique constet?
Et qualis soles Sol tibi Christe creas?

Eodem.

DIssimili similes, luce omnes impare pleni,
Non æquè æquales, ~~non paritate~~ vi vacante pares.
Fine Deo, sine fine bono, sine fine fruuntur;
Et semper sitiunt, semper & inde bibunt.
Decipimur miseri: Vita est hæc gloria sanctis,
At nos perpetuo viuimus interitu.

Eodem B. Virg.

SPlendet, & innumeris fulgoribus ardet olympus,
Ordine quos nemo dinumerare queat.
Quid numerare iuuat? videt omnia, qui videt vnam;
Sed non hanc vidit, qui videt illa simul.
Si placet, hinc Mariam, pone omnes inde beatos;
Plus simul acceptis omnibus illa micat.

Eodem.

CRescit flamma vorax, & quærit pabula semper;
Et noua quæ videant, lumina nostra petunt.
Feli-

Felices animos beat vnius vna voluptas,
Expleri vt nulla se nouitate velint.
Nempe tripartitam trinus Deus vndique mentem
Complet, & in quouis segmine totus inest.

Eodem.

VT viuens aurum viua fornace probatum,
Christe tibi ciues eligis æthereos.
Vita ergo fornax, homo viuis ignibus aurum,
Hoc magis elucens, quò magis excoquitur.
At male sanus homo verum se negligit aurum;
Dumque aurum quærit, sedulitate perit.

Eodem.

BInas rerum Opifex posuit mortalibus vrbes;
Vt foret vna bonis ciuibus, vna malis.
Et qui fixa alijs tribuit loca, bina creauit
His, quæ prona suo mens agit arbitrio.
Ponderibus fit quisque suis hinc terra, vel ignis;
Feruidus astra petit, frigidus ima petit.
Ima petens etiam pœnali immergitur igni.
Si sapio, hic ignis, ne voret ignis, ero.

Eodem.

REs quanta est homini, quod fiat patria cœlũ;
Et qui terra fuit, sidera summa premat?

Res quanta est, vt homo tantos acquirat honores,
Terrenum fieri se voluisse Deum?
Omnibus hæc sanctis est gloria; sed tua maior,
Quo patiente alijs gloria Christe venit.

In Commemoratione fidelium Defunctorum.

M*Isisti vltrices horrēda in crimina flāmas,*
Oppida sulfureis vt premerentur aquis.
Purgantes Erebi delicta leuissima flammas,
Quid ni restinguat sanguinis vnda tui?
Tu pius, & iustus; Deus vltor Christe fuisti,
Ergo pius debes nunc Deus esse tuis.

S. Carolo.

P*Vrpura te cinxit, cinxit quoque purpura Christum;*
Qua tu splendidior, vilior ille fuit.
Vt res visa tibi præpostera Carole, seruus
Purpureus Dominum ne foret ante suum.
Fis tibi tu vilis, tam non inflatior ostro,
Quàm fictum in Christo muricis officium.

Eidem.

C*Arole, sera ætas quo se se ad sidera tollit,*
Mirari & priscas desijt historias.

Mille

Mille celebrandus meritis laudabere ſemper.
Id mihi præ cunctis nobile ſemper erit.
Delicijs Salomon fatuum cor perdit, eædem
Ingenerant ſanctum cor tibi deliciæ.

Eidem.

D*Vm vult eſſe Crates mordens canis, abijcit aurum;*
Abijcit hoc, dum vult Carolus eſſe canis.
Morſibus iſte lupos abigit; fit morſibus ille
Præda lupis: hoc ſe eſt, non ſua proijcere.

Eidem.

C*Arole, mutetur ſi littera nominis vna,*
Κῆρ ὅλος, *& totus cor, tibi nomen erit.*
Cor totus, quia toti inerat ſapientia cordis;
Et quia totus amans, cor quoque totus eras.
Si cor totus eras, totum te patria ſeruat;
Totum quæ cor habet, te ſibi Roma tenet.

Eidem.

Q*Vinque talenta alij ſi lucrum quinque talentis*
Addiderint, ſeruos vis tibi Chriſte bonos.
Carolus è multis tenuit non multa talentis;
Et lucrum hoc, auri nolle talenta, putat.

Sic alij duplex, hic centum lucra reportat;
Et cumulat, cumulum dum negat ipse sibi.

Eidem.

QVo pietatis amor refrixit tempore, fornax
Pectoris exarsit Carole sancte tui:
Ignes illa suos Vrbi succendit & Orbi,
Ferueat vt flammis plurima turba tuis.
Illa tibi sacros Romæ accelerauit honores,
Maxima ne virtus præmia tarda ferat.

In Dedicationem Basilicæ Saluatoris.

PRima Vrbi surgis præ cunctis ædibus ædes;
Vtque Dei cultrix Roma sit, ipsa facis.
In te relligio patuit si publica primum,
Opposito es titulo cur Laterana domus?
An quia mater eras, Vrbisque Orbisque latebant
Templa situ laterum, sis Laterana domus.

In eandem.

LEprosos mundante decẽ medicamine Christi,
Qui grates illi solueret, vnus erat.
Lepram vt deposuit Romani stemmatis vnus,
Mundanti grates rettulit insolitas.

Et Constantino regnat iam vindice Christus,
Publica saluifico templa dicante Deo.

In eandem.

ΕΙΣ ΤΑ ΕΓΚΑΙΝΙΑ ΤΟΥ ΕΝ ΛΑΤΕΡΑΝΩι
περιωνύμου ναοῦ τοῦ Σωτῆρος.

ΕΝθάδε λουσάμενος διπλῆν νόσον ἔσβεσε Καῖσαρ,
Ἔκτοθι λεπρὸς ὅλος, τἄνδοθι λεπρὸς ὅλος.
Εἶτα μέλαθρον ἄναξ Χριστῷ δόμεν ἄνθετο, χῶρον
Εὐσεβίης πρῶτον τόνδε δομησάμενος.
Ὦ Καῖσαρ μεγάλαυχε, πόσων λίπες ἔργα θριάμβων,
Καίσαρας ἐξελάσας, δαίμονας ἐξελάσας.

S. Martino.

COr dederas totum Christo Martine; rogatus
Dimidiam Christi nomine das chlamydem.
Sed cor cum dederas, tu totũ & Christus habebat;
Fit totum & totum dimidiata chlamys.
Si tibi, si Christo bis fit chlamys vnica totum,
Plus est quàm totum, tradere dimidium.

Eidem.

INduitur Christum, qui se baptismate lauit;
Nondum hunc indutus, induit ille prior.

Abscissam chlamydem Christo qui nomine Christi
Tradidit : & rerum cernitur ordo nouus.
Fit vestis Christus, fuit vt sibi tradita vestis;
Martinus tegitur, cum prior ipse tegat.

Eidem.

DVm Martinus ait;Non ipse recuso laborem,
Me Christi populo viuere si sit opus.
Scilicet hoc clamat: Pastores viuite; verum
Viuere si vultis, vita sit ipse labor.

Eidem.

OFficium miles si non rapit, optimus implet;
Quod superest, si dat, rem facit ille nouam.
Plus Martine facis; das non quæ dupla supersunt,
Sed Chlamys in partes scinditur vna duas.
Et tanti meriti Christus venit ipse probator,
Et iudex testem se facit ante diem.

Eidem.

SCindi corda iubes, non vestem Christe; sed ipsũ
Cor tibi Martinus non scidit, at chlamydem.
Cur ita? quod scindi clausum cor præcipis; is te
Intus habens scindit, scindere quod potuit.

Eidem.

Eidem.

HVmani generis Martino ſe obtulit hoſtis,
Cùm planum ad ſuperos lætus iniret iter.
Ille, quid hic, inquit, ſæuiſſima beſtia quæris?
I procul; eſt operis pars mihi nulla tui.
Et videt iratus, qui cœlo ſidera traxit,
Inferri cœlo ſidera terrigenas.

Eidem.

NOn vis Chriſte tibi ſcindi textam vndique veſtem;
Sciſſa placet veſtis, quam ſibi miles habet.
Quique tibi vis totam animam, cor deniq. totum,
Non totam à ſancto milite fers chlamydem.
An cui totus amor te Chriſte amplectitur, omne
Totum eſt, quod toto porrigit ex animo.

Eidem.

COr Martine tibi globus igneus; hoſtia Chriſtus,
Dum ſacrum faceres, tunc globus alter erat.
Et globus ardebat ſupra caput igneus; eſſent
Te ſimul vt ſacris tres operante globi.
Ignitis manibus tractabas ſcilicet ignem,
Ignis & adſtabat Spiritus omnipotens.

Fri-

Frigida quid faceret mors tantis ignibus? ergo
Non tu illam, sed te frigida mors timuit.

S. Gregorio Thaumat.

POſſe gigantæas monti montem addere vires,
Ingenio finxit fabula priſca ſuo.
Finxit, at hoc Ponti potuit præſtare Sacerdos,
Imperat vt Chriſti nomine Gregorius.
I nunc, & fixa montes dic ſede locatos.
Non facit hos fixos pectore fixa fides.

Eidem.

AScendunt montes ſi deſcendentibus aruis,
Nec poſitus ſignum terminus egreditur.
Gregorius montem qua vi, quo robore transfert?
Transfert, & fidei robore fixa mouet.
Ne tellus ſit operta, monet fixa omniá Dauid;
Gregorius, pietas vt ſit aperta, mouet.

Eidem.

DEpopulantem agros fluuium excurrentibus vndis
Compreſſit baculi limite Gregorius.
Hæc ſit meta Lyco; vis multa hic frangitor, inquit.
Paret is, & tacto limite frænat aquas.

Fin-

Fingite nunc vates, stupeat quæ ignobile vulgus:
Vna facit rerum se dominam pietas.

Eidem.

VIrginis imperio, fidei fit Virgo magister,
Verbaque Gregorio tradit Apostolica.
Ille alte fidei concepto robore montes
Transtulit, & baculi limite pressit aquas.
Et semel hoc Moses, hic præstitit omnibus annis.
Hoc legem est rebus ponere, non populo.

Eidem.

QVam breuis est, pastor quam scribit epistola Ponti?
Gregorius Satanæ; Quid fugis? ingredere.
Vox Christi, egredere, ingressum cacodæmona pellit;
Gregorij egressum vox trahit, ingredere.
Depulit illa vnum, Ponto hæc tandem expulit omnes,
Et famulus Domino nobiliora facit.

Eidem.

DVm noua Gregorius Ponto miracula patrat,
Ad se cuncta trahit, sed tibi Christe trahit.
Et qui cuncta trahit, non attraxisse fatetur
Tot sibi, quot tractos repperit ante tibi.

Sic

Sic tibi cuncta trahis, dũ non trahis omnia Christe:
Nam qui nulla trahit pessima, cuncta trahit.

In Dedicationem Basilicæ Principis Apostolorum.

VAticana domus non prima, sed altera surgit,
De petra vt petræ stet domus ampla Petro.
Et Petro soli renouatur nobile templum,
Vna fides Petri quod noua semper erit.
Hæreticus longo marcescit tempore sensus,
Vna fides Petri viuida semper erit.

In Præsentationem B. Virginis.

DVcitur in templum qualis quali edita voto?
Quale Deo munus trima puella datur?
Ipsa Dei templum templum subit. Vt minus illud
Hanc capit, immensum quæ capit vna Deum?
Ordine diuino maiora minoribus insunt,
Natura in magnis sola minora locat.

In eandem.

OPpletum est nebula Salomonis nobile templum,
Vt factum Omnipotens sanctificaret opus.

Ingre-

Ingrederis templum nubes tu candida Virgo,
Tota ſacrata Deo, tota ſacranda Deo.
Et ſemel oppletum, plenum ſemel extitit illud;
Tu plena, vt fieres bis quoque plena Deo.

In eandem.

REx ſapiens binas tyria trabe condidit ædes,
Vt domus vna Deo, Regibus vna foret.
Non ſatis vna Deo; venit ergo è ſanguine Regis
Filia, ſola Deo quæ foret apta domus.
Nunc domus illa domum capit hanc; Verum ordine verſo
Hæc capiet, ſibi quem non capit illa domus.

In eandem.

SI templi tu porta es clauſa, & peruia Verbo;
Qui fit, te vt templi ſanctius excipiat?
Si tu ventre capis, quod non capit area templi;
Qui fit, te vt templum tam minus excipiat?
I tamen, i felix, vera vt ſis gloria templi,
Sanctaque ſanctorum ſanctificare queas.
Egreſſura dabis, templi quod terminet vmbras;
Luminis æterni cum noua Mater eris.

In eandem.

PRæsentata Deo prima trieteride Virgo,
Præsentatum habuit rursus & illa Deum.
Præsentanda Deo ducta est Salomonis in ædem,
Illapsum ventri condidit illa Deum.
Se dedit illa Deo, se se Deus indidit illi,
Pars matris, non vt pars foret illa Dei.

In eandem.

ANte Deum steterat diuinis vocibus Adam;
Sponte sua Virgo nunc stetit ante Deum.
Se negat ille Deo, vouet hæc cum corpore mentem.
Quod facit ille, tacet; quod tacet ista, facit.
Nam simul est Virgo, simul est & regia mater;
Vt bona plena habeat, quæ bona plena dedit.

In eandem.

BAptista in vastam trimus secessit eremum,
Ingreditur sacram trimula Virgo domum.
Ille fauos adhibet, captasque alimenta locustas;
Pascitur angelicis regia Virgo cibis.
Præuius ille sua Verbo vox voce futurus,
Hæc Verbo vocem ventre datura suo.
Luxuriæ vindex capitis damnetur vt ille,
Hæc damna vt reparet virginitate sua.

Et semel ille Agni fieret certissimus index;
Et daret hæc Agnum, iugis vt esca foret.

S. Cæciliæ Virg. & Mart.

NOn audent flammæ, non audet perdere ferrũ
Cæciliam; furtim pallida mors subijt.
Fœmina quæ potuit naturæ vincere leges,
Et ferro & flammis fortior esse potest.

Eidem.

ICtibus vna tribus nõ sternitur inclyta martyr,
Vno ictu potuit quæ superare virum.
Et circumpositis non vritur ignibus illa,
Coniugis extinxit quæ noua nupta faces.
Vnde hæc fœmineo virtus in corpore, vinci
Nesciat vt tanto robore Cæcilia?
Christi Euangelio pectus muniuerat illa;
Et sermo viuus dicitur esse Dei.

Eidem.

FOemina ne doceat, lex sancta est; ergo maritum,
Coniugis & fratrem cur pia Virgo docet?
Cæciliæ hoc meritum, tribus vt foret aucta corollis:
Sic Virgo & martyr, docta magistra fuit.

Eidem.

Eidem.

MElla legit, sed sugit apis de floribus illa;
Cæcilia è spinis dulcia mella legit.
Fingit apis dulces in dulcia mella liquores,
Virgo in mel mutat fellis amaritiem.
Illa sibi, non sponte alijs sua mella reponit;
At Romana tibi Christe laborat apis.
Denique pungit apis, sed Virgo hæc pungitur ense;
Et tuus hanc semper Christe pupugit amor.

Eidem.

ET sapiens Virgo, sapiens & sponsa fuisti;
Desponsa & sponsis vna duobus eras.
Quin etiam sponso sponsatrix ipsa fuisti,
Dum sponsas sponsum, quem lauat vnda Deo.
Obuia tu Sponso, cùm nox erit vltima, fies
Multiplici fulgens lampade Cæcilia.

Eidem.

SPonsus amator erat, prior illo Christus amator,
Angelus & zelo plenus amator erat.
Cur tot amatores pateris castissima Virgo,
Si desponsam vni te sibi Christus habet?

An

An vir ſolus erat, cui prolem concipis vni;
Fitque tibi proles, qui tibi nuptus erat.
Et paranymphus erat Chriſto, quem zelus agebat;
Et tot amatores vnus amator erat?

S. Clementi PP. & Mart.

ANchora fert nautæ certam ſpes iacta ſalutē,
At certam Clemens fert tibi iacta necem.
Non temere hoc factum; merſus ſis tu anchora, mergi
Qua nunquam poſſit nauis Apoſtolica.

Eidem.

FLuctibus in medijs Clementi nobile templum,
Et tumba angelico ſtructa labore datur.
Et mare, demerſo quod Ionæ viſcera monſtri
Buſta dedit, cedit martyris obſequio.
Cur mare fugiſti? Pſaltes quærebat; & illud,
Condi, inquit, pelago martyris oſſa nefas.

Eidem.

ARca iubente Deo conſtructa adſemina vitæ,
Quos tulit, hos vitæ reddidit incolumes.
Arca tibi Clemens ſub aquis ad funeris vſum
Condidit inuicti Martyris exuuias.

Illa ſalus miſeris, teſtis fuit iſta triumphi;
Illa natans pulchrè, pulcrius iſta latens.

Eidem.

ΣΥνδετος ἀγκύρᾳ Κλήμης ὑπεδύσατο πόντον,
Ὄφρα Πέτρου λέμβος κύματα μὴ τρομέῃ.
Anchora Pontificem Clementem merſit in vndis,
Ne iactata vndas cymba Petri timeat.

Eidem.

ΑΙας ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ,
Κῦμα πιὼν Κλήμης δ' ἤρατ' ἀειζωΐαν.
Οὐ γὰρ πνεῦμα Ὁμήρου βροτῶν πέλει ἔμπνοον ὕδωρ,
Οἶδε δὲ γεννᾶσθαι δεύτερον ἐξ ὕδατος.
Aiax diſperijt, quia ſalſas ebibit vndas;
Ebibit & Clemens, ac ſuper aſtra volat.
Non etenim eſt animus pars lymphæ, vt credit Homerus,
Sacratis iterum ſed generatur aquis.

Eidem.

A*Nchoram ponto dedit arca nullam,*
Vnda cum montes operiret altos.
Iuncta Clementem tulit ad ſalutis
Anchora portum.

Ancho-

Anchoram ſubtus ligat ad rudentes
Nauita, & fluctus iacit in profundos.
Aſtra quò Clemens petat, apta cingit
Anchora collum.
Spes dat extremis ſociam periclis
Anchoram; Clemens gerit ad triumphum;
Bis ſacra vt ſacræ ſibi mortis extet
Anchora teſtis.

Eidem ad ſacellum ruris Aldobrandini.

ANchora te Clemẽs medias detruſit in vndas,
Et Romanus ager dat noua templa tibi.
An Clementis amor ſalſis te traxit ab vndis,
Et primum octauo Pontificem ſociat?
Clementes igitur capit ædes vnica binos,
Si non martyrio, ſed pietate pares.

S. Felicitati Mart.

ILle pater fidei, quo gens benedicitur omnis,
Obtulit vt natum, præmia mille tulit.
Fœmina Chriſte tibi ſeptem dat martyres vna,
Octauo & moritur mortua prima loco.
Tam felix mater non curto nomine Felix,
Sed merito dicta eſt integra proſperitas.

S. Caterinæ Virg. & Mart.

SI fortuna rotam, si dat victoria palmam,
Ingenium Pallas, gaudia multa Venus.
Et frangis Caterina rotam, vincisque ferendo:
Et sophiam spernis, deliciasque fugis.
Aut vis nulla Deum est, aut tu Regina Dearum;
Insana iratus mente Tyrannus ait.
Stulte, inquit Virgo, non sum Dea; vinco Dearum
Turbam spe, voto, relligione, metu.

Eidem.

ESse negant oleum, plenam quod seruet vtrisq.
Lampada, prudentes Virginibus fatuis.
Exundante tibi, quod vas implebat, oliuo,
Das oleum fatuis tu Caterina viris.
Vincis prudentes tu prudentissima Virgo,
Prudentes etiam quæ facis vna viros.

Eidem.

VNius elusit vanos Iuditha triumphos,
Et dicta est populi gloria magna sui.
Quæ decies quinos lusit Caterina triumphos,
Dicenda est populi gloria quanta sui?

Illa

Illa ducem domuit vino ſomnoque ſepultum,
Hæc vigiles vigili Palladis arte duces.
Perdidit illa vnum, Christo hæc lucrum obtulit omnes.
Caſta illa, hæc martyr virginitate potens.
Hoc maior Caterina etiam; Iuditha quod vltrix
Vult ſibi habere rotam, diſſipat iſta rotam.

Eidem.

TEr ſummum Aegyptus quondam celebrauerat Hermem;
Ter ſumma es, merito ſed Caterina nouo.
Nam tria ſunt homini, mens, ira, & blāda cupido;
Et tria præcipuis ſunt tibi ſumma modis.
Tu ſummè ſapiens, fortis ſummè, integra ſummè,
Et ſophiam, & mortem deſpicis, & Venerem.
Fœminea hæc virtus, mixta altera, prima virorū;
Ter ſumma es titulis tu Caterina tribus.

Eidem.

MAgna nihil iuuit Solymæ ſapientia Regem,
Fortior at tanto fœmina Rege fuit.
Sed cum fœmineum ornauit ſapientia pectus,
Fortior innumeris ſit Caterina viris.
Et ſapiens clamat Virgo; Si vincit inermis,
Armata ingenio fœmina quid poterit?

Eidem.

Εἷς ποτε πεντήκοντα ἀνὴρ παρεξέξατο κούραις,
Αἰσχρὴν μαχλοσύνης εὖχος ἀειράμενος.
Νῦν μία πεντήκοντ' ἄνδρας παραδέδρομε κούρη,
Πανσόφους εὐμαθίης ἆθλον ἐνεγκαμένη.
Ω κούρη πολύαθλε πανευκλεὲς Αἰκατερίνη,
Νικᾷς πάντα, φύσιν, δαίμονας, ὅπλα, λόγους.

S. Petro Mart. Episc. Alexand.

CVm ferro obijceres generoso pectore collum,
Cœlitus hæc fertur vox Petre missa tibi.
Petrus Apostolico numeratur culmine primus,
Vltima Martyribus gloria Petrus erit.
Additur extremis medius; seruate clientem
Aldobrandinum Petrus vterque Petrum.

Eidem.

DIscissam Christo vestem dum Petre doleres;
Ille tibi; hanc laceram fecit Arius, ait.
Vna quod est vni commissa Ecclesia Petro,
Qui fleret scissam, debuit esse Petrus.

Eidem.

DIscissam Petrus vestem tibi Christe dolebat,
Et caput abscissum non dolet ille sibi.

Nec

Nec cadit exſecta ſacrum ceruice cadauer;
Sed ſtat, ſeque probat viuere martyrio.
Quanta Petri virtus? petra eſt immobilis vnus,
Et facit immoti roboris ille Petros.

S. Andreæ Apoſtolo.

R*Es noua, piſcator Chriſti piſcatio factus;*
Et prædam Andrea tu capis, & caperis.
Retibus ipſe capis, vox te capit vna vocantis;
Vt capias alios, captus es ipſe Deo.
Piſcator ſemper capiens captuſque, ſed olim
Ad mortem, ad vitam captus & ipſe capis.
Vnus piſcator, duplex piſcatio, diſpar
Capturæ ars; fallit prima, ſecunda beat.

Eidem.

V*Idit vt Andreas fixum ſibi nobile lignum,*
O bona Crux, auidus quam ſequor, inquit, aue.
Iam me tolle tibi, tolle hinc, & redde magiſtro,
Plus tu fixa mihi, quam tibi fixus ego.
Et ſi olim fugi, nunc lætum ſuſcipe; Chriſti
Dum non ferre crucem, crux erit vna mihi.

Eidem.

STare Crucem Andreas transuerso vt stipite vidit,
Optata ò nimium Crux mihi, dixit, Aue.
Tu, quæ sola meum potuisti ferre magistrum,
Fer quoque non æquo pondere discipulum.
Sic locus vnus eris Domino, Dominique ministro;
Et quia iam sancta es, non locus vnus eris.

Eidem.

VEl Dijs thura dabis, vel tu miser hostia fies;
Andreæ tumida voce Tyrannus ait.
Ille, quid est, inquit, quòd libem, aut hostia fiam?
Quæ minitas, animi sunt duo vota mei.
A me viua Deo datur hostia, & hostia fiam;
Et viuum viua hæc hostia me faciet.

Eidem.

ANdream biduo pendentem sustulit arbor,
Pendenti Christo non fuit vna dies.
Discipulus gaudet, flet amaro corde magister;
Ille docet populos, tu bone Christe taces.
Nam tu Agnus moriens, Agnum fuit ille secutus,
Baptistæ digito qui sibi notus erat.
Et morienti Agno Crux vltimus extitit horror;
Andreæ ex Agno Crux velut agnus erat.

Eidem.

AGnus errantes vt oues ouili
Redderet, vitæ pretio redemptas,
Cæpit ignotus fieri propheta
Indice notus.
Primus Andreas fuit agnus Agno;
Primus inuentum tenuit magiſtrum,
Traxit & Cepham, foret ille ab Agno
Paſtor vt agnis.
Ara crux Agno fuit immolato,
Crux & Andream tulit immolatum,
Eſſet Andreæ licet immolatus
Integer Agnus.
Singulis Agno faciens diebus,
Se dat Andreas ſemel agnus agnum;
Agnus vt mundi mala quæque tollens
Tollat & agnos.

Eidem.

Χριστῷ Πέτρον ἔνεγκε κάσις, κάσιν ἤγαγε Πέτρος
Ἀργόθεν εἰς Ῥώμην· φίλτρον ἔρωτος ἴσον.
Andreas Petrum Chriſto aduocat; hic vocat illum
Ex Argis Romam: fratribus æquus amor.

In Scalam Sanctam.

ANgelicis pedibus protrita est ſcala Iacobi,
Et ſcalam hanc hominis pes terit atq. Dei.
Somnia viſa illic, hic ſæua tragœdia rerum;
Cœlum illa; hæc Erebum tangit & aſtra ſimul.
Nam ſimul & Stygias Christus deſcendit ad oras,
Victor & incluſos traxit ad aſtra patres.

In Cryptas & Cœmeteria Mart.

EN quibus in Cryptis latitabat turba piorum;
Et tantorum hominum manſio qualis erat.
Si fugit is lucem, qui fœda piacula patrat;
Cur fugiens lucem tunc pia turba fuit?
An quia ſol Christus, tenebras ſolem eſſe putabant;
Ergo tenebrarum, non fuga lucis erat.

In hæreticum negantem ſacras traditiones.

SCripta inſane probas, & verba tradita rides;
Cur te prima minus, ſigna ſecunda mouent?
Mẽs loquitur; prior eſt lingua index, inde papyrus;
Et ſubſunt primis ſigna ſecunda notis.

Ordine

Ordine tu verso vis prima subesse secundis.
Quid notat hoc, nisi mens nulla quod hæretico?

In hæreticum asserentem, omnibus Episcopis parem esse potestatem.

SI numeris similis facta est distinctio rerum,
Et numeris vnum fons & origo præit.
Aut per te nihil est parili vi Ecclesia Christi,
Omnibus anterior vel Petrus vnus erit.
Quis mutet numeros? quis mutet dogmata Christi?
Tu male mutatus desipis hæretice.

In Conciliabulum hæreticorum.

NOn satis est hominum si conspiratio fiat;
Conueniunt fures, congregat & Satanas.
Vt bene conueniant, veniendum in nomine Christi;
Et Petrus Christi nomine pascit oues.
Quæ se pascit ouis, Christum negat, omnia turbat;
Nec pastor, sed fit pelle tegente lupus.

Christo Domino.

GRatia quæ citò fit, dicenda est gratia maior;
Gratia vix dici gratia lenta potest.
At tua si lenta est, maior fit gratia Christe;
Quoque minus velox, amplior illa venit.

Differs

Differs quæ confers, dilata vt lata ferantur:
Ergo vt lata feram, da bona lenta feram.

B. Virgini de Arcu prope Neapolim.

FRangere sola caput potuisti immane draconis,
Dum plantæ insidias tenderet ille tuæ.
E minus vt se se post vulnera iusta recepit,
Arcus es, & iaculis sternitur ille tuis.
Ergo pium pia plebs titulum Virgo indidit, Arcus;
Votaque cum titulo dat tibi mille nouo.

In sacrosanctam ædem Lauret.

HAec domus est hospes tibi prima salutis origo,
Hic concepta tibi Lunaque Solque fuit.
Luna diem pariens, Sol proles inclyta Lunæ,
Quæ simul est radijs solis amicta sui.
Virginis hic verbo nostros Verbum induit artus,
Atque Opifex carnis prodijt ipse caro.
Prima salutantis vox hic audita puellam
Alitis; hinc illud nobile fluxit, Aue.
Virgo & mater Aue, quæ pura es gratia; namque
Quicquid habes, quodque es, gratia summa fuit.
Nec natura prior, sed gratia iuncta creauit;
Et natura tibi gratia tota fuit.

Aliger

Aliger hoc voluit; quo nos arcana docente
Dicimus, & dulce hoc ingeminamus, Aue:
Mater Aue, Regina hominum, Regina Deorum;
Vtque tuis precibus nos aueamus, Aue.

In ædem B. Virginis Tuſculanam.

VIrginis hic fuerat quondam non grande ſacellum;
Nunc templum hoc, hoſpes, nobile conſpicitur.
Ampla Sacerdotum domus addita, vota dederunt
Qui Christo, & Cleri regula ſancta micant.
Non anguſta Deo dederit quod viſcera Virgo,
Non anguſta cupit templa dicata ſibi.

In eandem, quæ vulgo Capocroce appellatur.

QVattuor arte vias vbi limes diuidit vnus,
Exprimit effigiem Crux veneranda ſuam.
Hic extructa tibi Virgo ædes aurea ſurgit,
Quæ ſanctum expreſſa de Cruce nomen habet.
De Cruce pendenti quæ aſtabas proxima nato,
In Cruce nunc meritus quò tibi detur honos.
Tunc illudentis populi maledicta ferebas;
Nunc hymnos hominum, votaque ſancta capis.

Pro

Pro Cruce Crux igitur; pro plebe furente piorum
Turma est, cui Cleri Regula dat titulum.
Crux quibus infixa est animo, Crux nobile signũ,
In Cruce qui media viuere dulce putant.

In ædem B. Virginis titulo Cryptæ Ferratæ.

FErrea cum non sis, cur est tibi ferrea Crypta?
Et matri lucis cur tibi Crypta datur?
Hic tamen ò Virgo voluisti nobile templum,
Quod græca erectum relligione foret.
Scilicet illa probans, quæ Græcia prisca tenebat,
Et pia secernens schismate seposito.
Ergo subacta iacet quod ferro Græcia, signat
Ferrea; quod tenebris obruta, Crypta notat.
O pacis Regina potens, tu tundere ferrum,
Et tenebras genita luce fugare potes.

B. Virgini.

SAcra olim Domino, tibi dantur sabbata Virgo;
Et concessa tibi festa quietis habes.
Sexta dies Adæ, lux Christo octaua dicatur;
Illa hominis, Domini dicitur ista dies.
Quæ media est, mediæ tibi restat septima, Virgo;
Nam tu supra hominem facta secunda Deo.

Eidem.

Eidem.

SAt bene, ſat pulchre tibi ſabbata Virgo dicantur;
Quòd diuini operis tu magis apta quies.
Vnam poſt te Opifex formatam ſubſtitit; omne
Inferius longe eſt, quod fuit, & quod erit.
Quin Verbo humanam dederis quòd ventre quietem;
Tu tibi, natus ait, Sabbata mater habe.

Sola ſine exemplo.

SOla places Virgo, nihil eſt te pulchrius vna;
Et formæ eſt ſimilis fœmina nulla tuæ.
Nulla parallelo eſt, quæ non æquetur amico;
Aequatur ſoli linea nulla tibi.
Sola cares virtute pari, virtute ſodali;
Sola tibi ſocia nobilitate cares.
Poſt te ſunt omnes, trahis omnes, ſubijcis omnes;
Et trahis hunc, ad ſe qui trahit omne bonum.
Exemplo anterior fuit olim nulla futuræ,
Poſterior nulla eſt aſſimilanda tibi.
Sola places, & ſola Deum tutiſſima placas,
Quæ potes iratum vincere ſola Deum.
Vince Deum precibus, nos nobis effice victos:
Sic Domina & victrix, ſic pia mater eris.

Eidem.

Eidem.

SI ſemel amplexus Simeon te Chriſte, beatus
Extitit, ò quoties Virgo beata fuit.
Si vero amplexus matrem fecere beatam,
Quam felix plenus numine venter erat?
Summa tamen ſoli ſummos peperere dolores
Gaudia, ne ſimilis non foret illa tibi.

Eidem.

CVm porta nulli peruia,
Deo ſed vni peruia
Sis Virgo, cur mortalibus
Cœli vocaris ianua?
Mortalibus non peruia,
Non eſt vocanda ianua.
Tu Virgo non es peruia
Mortalibus, ſed ianua.
Vel Virgo non es ianua,
Vel ianuam non peruiam
Dictu videmus abſonum.
Quid maius hoc ænigmate?
Sed ni fores tu ianua,
Non eſſet vlli ianua.
Ergo ſimul te ianuam
Dicemus & non peruiam.

Et

Et ianuam te peruiam
Fatemur & non peruiam,
Vt mater, es tu peruia;
Vt Virgo, non es peruia.
Et ni fores imperuia,
Nunquam fuisses ianua;
Deo sed vni peruia,
Es vera Cœli ianua.

Eidem.

SPonsa viro, non vxor eras fœcunda marito;
Ventre paris, sed non ventre dolente paris.
Lacte cibas, sed sponte tibi fons lacteus exit.
Martyr es, & fuso sanguine non moreris.
Quicquid habes Virgo, diuinam accedit ad arcem:
In te subtractis sunt bona quæque malis.
Et si quis te audet verbis describere, dicat;
Hoc Virgo est, macula quod caret & vitio.

Eidem.

FLectere cœlestis potuisti viscera patris,
Natum vt visceribus funderet ille tuis.
Flectere tu poteris cœlestis viscera Patris,
Euehat vt seruos ad sua regna tuos.
Nam tu scala Iacob cum sis, hac scandere Virgo
Nos decet, omnipotens qua petit ima Deus.

Eidem.

ΠΑρθενίη τε γάμος τε δυαὶ πέλον οὐκ ἐπίμικτος,
Εν σοὶ δ' ὦ Μαρίη ξυνὸν ἔθεντο λέχος.
Ω Κούρη πολύολβε, μόνη μόνα πάντα λαχοῦσα,
Διπλοῦν γειναμένη διπλόα καὶ σὺ φέρεις.

Eidem.

VNa, inquit Plaſtes, caput anguis fœmina perdet,
Vt decepta illi fœmina ſola fuit.
Viribus expellunt ſi ſe contraria ſummis,
Commune ambobus iam nihil eſſe poteſt.
Antidotum Virgo hinc, hinc anguis toxica fundens.
Quis tibi det Virgo, quod malus anguis habet?
Ergo tibi nullus, non fomes Virgo ligatus:
Vel certe antidotum tu minus anguis eras.

Eidem.

VT caperet trino diſtinctum lumine lumen,
Cor Deus effinxit pyramidis ſpecie.
Vt caperes vnum Virgo intra viſcera Verbum,
Se voluit ſpatijs abbreuiare tuis.
Et capis vna vnum, plenum plena, integra totum,
Solem Luna, Orbem circulus, Halma Deum.

Eidem.

OMnis habet fructus semen, quo nascitur ipse;
Fructus Virgo tuus datque negatque suum.
Ipse tibi castum impleuit sine semine ventrem;
Sed grauidat mentes semine prolifico.
Ergo Dei matrem nullo cum semine factam,
Per te vnam vitæ semina mundus habet.

Eidem.

DElapsum è cœlo manna olim condidit vrna,
Vrna vt prolificæ Virginis vmbra foret.
Præstitit at Virgo plus quã vetus exprimat vrna:
Non manna excepit Virgo, sed ipsa dedit.
Et nunc manna nouum, Christi cum sanguine carnem,
Dum capimus, capimus manna quod ipsa dedit.

Ad B. Virginem in foro nouo apud forum Liuij, Gratiarum nuncupatam.

ORbis in orbe latet, rata sunt oracula vatum;
En rota conspicitur maior habere rotam.

Quam bene templa tibi geminata & ſphærica
ſurgunt,
Fœmina circundas quæ ſine labe virum.
Circulus ipſa Deo, Deus eſt immobile centrum;
Linea de centro te ſine nulla venit.
Volueris in gyrum, motuque agitata perenni
Depellis morbos, omnia viuificas.
Sic tibi dat verum cœleſtis Gratia nomen;
Sic es cœlum homini, ſic tegis ampla Deum.

ΧΡΙΣΤΩι ΣΩΤΗΡΙ.

Χριστὲ μόνος διφυὴς καὶ μονοπρόσωπος ἐτύχθης,
Καὶ μόνος ἦσθα μόνου, καὶ μόνος ἦσθα μόνης.

Beatæ Virgini Templum Domini.

ESſe Dei templum Virgo te dicimus illud,
In quo ſumma Dei gloria fixa ſedet.
Condidit arte noua ſibi te Sapientia templum,
Carnis vt hinc templum ſumeret ipſa ſibi.
Quod manufactum habuit, fuit olim ſæpè profanũ;
Tangere te potuit nulla profana manus.
Sancta ibi ſanctorum fuerant penetralia templi;
Sanctum eſt ſanctorum tu tibi quidquid habes.
Ingrediebatur ſummus ſemel illa Sacerdos;
Portas materno tu tibi ventre Deum.

Arca illi fuerat, clausum quæ manna tenebat;
Tu tibi secreto pondere manna geris.
Candelabrum illic, sacrisque altaria flammis;
Viuens tu ara Deo, viua lucerna Deo.
Gaza illi fuerat totum conflata per orbem;
Omnes se solo dat tibi Iesus opes.
Nulla Dei effigies, nulla illic numinis vmbra;
Viui te viuens implet imago Dei.
Impletum est nebula, cum Rex illi intulit arcam.
Te complet totam gloria viua Dei.
Vela illi fuerant, quæ mystica sacra tegebant;
Velas tu ex te ortum carne tegente Deum.
Velum illi scissum est morientis nomine Christi;
Quanto est cor scissum Virgo dolore tibi?
Inde omnis pietas Christo ascendente recessit;
Ex te omnis pietas relligioque venit.
Quis templo templum Virgo te conferat illi?
Et dominam templi dicere quis dubitet?
Sola Deo tu facta quies, templum vna vocaris;
Puri per quam homines sint pia templa Deo.

Eidem.

Beatus venter, qui te portauit.

BEatus ille dicitur,
Qui tres & vnum conspicit:

Venter beatus Virginis
Vno beatur filio.
Videt beatus intimè,
Non comprehendens intimè.
Venter beatus intimè
Altissimum circumdedit.
Visus beato iungitur,
Totusque toti illabitur.
Ventri beato Virginis
Pars matris ipse infunditur.
Portantur hi, quos efficit
Verbum beatos incolas.
Venter beatus Virginis
Portat beantem sarcinam.
Fontem beatitudinis
Omnis beatus ebibit:
Venter beatus Virginis
Fons est beatitudinis.
Virgo beata nascitur,
Beata sponso traditur,
Beata mox enititur,
Beata cælo redditur.
Mens est beata dotibus,
Caro carens est sordibus,
Venter beatus germine,
Fæcundus absque semine.

Ergo

Ergo vocandam gentibus
Se ſe beatam dixerat;
Nos ventre factam dicimus
Sedem beatitudinis.

Eidem.

ARca ornata auro, non aurum tota nitebat:
Aurum tu tota es, totaque Virgo nites.
Et cum plenus erat tibi venter pondere ſacro,
Viua fodina auri nos redimentis erat.

Eidem.

CVm plena eſt Phœbe, plus Phœbi à corpore diſtat;
Virgo Solem vtero plena tumente gerit.
Illa minus lucet, cum iuncta eſt proxima Phœbo;
Iunctior hæc Soli, fit quoque lucidior.
Illa ſubeſt Soli, Solem hæc amplectitur aluo;
Solem & ſuppoſitum iure parentis habet.

In Detractorem.

Roma. Amor.

QViſquis es, eſſe Vrbi nullum qui dicis amorẽ,
Ordine quod verſo Roma legatur Amor.

Si

Si te non fugeret quid Καρκίνυ *indicet vſus;*
Perſpiceres, Vrbi quàm pius inſit amor.
Vno greſſu alijs amor ambulat; ambulat Vrbi
Totus in Eoos, totus in Heſperios.

FINIS.

Errata.

Pag. 34.	*verſ.*7.	*ſcribendum*	ϛ' ἦγε
Pag. 62.	*verſ.*13.	*ſcrib.*	*Iudae*
Pag. 93.	*verſ. penult.*	*ſcrib.*	*creatus*
*Pag.*126.	*verſ. penult.*	*legendum*	*Chriſte tibi*
*Pag.*136.	*verſ. penult.*	*leg.*	*Peremptor ille*
*Pag.*154.	*verſ.*13.	*ſcrib.*	*fontem quæ*
*Pag.*164.	*verſ.*15.	*ſcrib.*	*Opſoniæ*
*Pag.*184.	*verſ.* 6.	*ſcrib.*	τῆς ποτε
*Pag.*190.	*verſ.*17.	*leg.*	ζιζανιοφθορόμυθο
*Pag.*199.		*ſcrib.*	*S. Stanislao Mart.*
Pag. 39.	*verſ. penult.*	*ſcrib.*	*Valens*
*Pag.*242.	*verſ.* 9	*leg.*	*dedit ore*
*Pag.*283.	*verſ.*14.	*ſcrib.*	πάνδροσον
*Pag.*310.	*verſ.* 1.	*ſcrib.*	ἐΰξέστοιο
*Pag.*337.	*verſ.*10.	*leg.*	σπλονδ' ἐλατεργέναν
*Pag.*348.	*verſ.*21.	*leg.*	σοῦ Cἰν ζηλήμονας
*Pag.*356.	*verſ.*12.	*leg.*	*ſaucia*






IHS